DE PERSONIS MULIEBRIBUS

APUD PLAUTUM.

ORNATISSIMO VIRO

Æ. EGGER,

INSCRIPTIONUM ET HUMANIORUM LITTERARUM ACADEMIÆ SOCIO

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI

LITTERARUM GRÆCARUM PROFESSORI

ET

IN SCHOLA NORMALI GRAMMATICÆ DISCIPLINÆ PRÆPOSITO

Opusculum hoc dedicatum voluit
memor et gratus

E. B.

DE PERSONIS MULIEBRIBUS

APUD PLAUTUM

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

L. E. BENOIST

IN EADEM FACULTATE LICENTIATUS

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

NUNC IN LYCEO MASSILIENSI PROFESSOR AGGREGATUS





MASSILIÆ

EXCUDEBAT JULES BARILE

Via Paradis, 13.

—

MDCCCLXII.

DE PERSONIS MULIEBRIBUS

APUD PLAUTUM.

PROOEMIUM.

Nemo non fatetur Plautum actuosissimum esse, motibus illustribus et jucundis abundare, sermonibus uti audientem rapientibus, et palmam, pro Varronis verbo [1], poscentibus. Quamvis dixerit Horatius [2] :

> At vestri proavi Plautinos et numeros, et
> Laudavere sales, nimium patienter utrumque, *

Sarsinatis fama nunc stat fulta satis, et ab injuria tuta, quod ad vim comicam attinet

Quam sincerā quamque eleganti elocutione niteat, fidem fecerunt ex suomet ipsorum et veterum grammaticorum judicio Quintilianus et Gellius [3].

Ne quis vero censeat illis tantum meritis eum præstare, et orationem illius, etsi sapore vernaculo perfusam, verbis modo ad summam caveam spectantibus refertam esse. Docilior et flexibilior est ingenii Plautini forma, quam ut ille non ceteras comicæ artis partes tractaverit, et diligenter inspicienti facile apparebit venustas rerum ac verborum prudentissima et subtilissima dignaque quæ urbanitatis studiosos homines moveat et detineat. Quod ut approbem, quod argumentum potius eligam quam muliebres personas, quæ res est sane poetis omnis generis difficillima, et in qua se maxime prodit cujusque exquisitissima facultas? Est enim præstantissimæ mentis in multiplices et reconditos muliebris animi recessus penetrare, materiamque adeo abs-

[1] Non. verbo *poscere*. — [2] A. P. 270. — [3] Quintil. *Instit. orat.* X, 1. Gell. *Noct. Attic.* I, 7.

* ne dicam [illegible], mirati.

trusam scrutari, excutere, atque in lucem promere. Ea pars non minima est laudis poetarum illustrissimorum, in eaque re quicumque poesim attigerunt sese exercuere. Illa igitur quasi coticula utamur, quo altius quam varium quamque fecundum fuerit ingenium Plauti perspiciamus.

Nunc vero de opusculi hujusce dispositione dicendum est aliquid. Si fabulas singulas inspicerem, a qua facerem initium? Ordo vulgo usitatus pro ratione tantum primæ litteræ titulorum habitus est, neque facile quisquam alium ordinem excogitaret, quo comœdias omnes disponeret[1]. Placet ergo, fabularum omnium compage dissoluta, quamque mulieris formam pro conditione sua in classes redigere, quæ ceterum ad paucas species redibunt, matronarum scilicet, puellarum ingenuarum, meretricum et ancillarum. Inde quid nos doceat de mulieribus ætatis suæ Plautus, quamque artem in personis effingendis adhibuerit, considerabimus.

I. — DE MATRONIS.

Inter ceteras personas comicas, quæ omni tempore actæ sunt in scenis, magnas partes uxor habet. Matrimonium usque comœdiæ materiam uberrimam præbuit. Quicumque fuerint mores variarum gentium, diversis ætatibus, societas illa viri et mulieris, parum inter se notorum, sæpe utilitatis respectu, aut alias ob causas, quæ ad mutuum amorem non pertinent, capessita, contentiones parit, propter quas ingenia mediocria brevi in ridiculum decidunt, ideoque comœdiæ dant ansas. Præcipue mulieribus objiciuntur, inter alia vitia, sumptus effusi, cultusque nimia cura, garrulitas, jurgiorum cupido, suspiciones assiduæ.

[1] Vide disputationem Ritschelii de ordine comœdiarum Plautinarum, Parerg. I, 391 et Proleg. ad Trinummum XXXIX et XL. Certum est ex ipso Plauti testimonio Epidicum Bacchidibus fuisse ætate priorem, Bacch. II, 2, 36. Cf. quoque disputationem Naudeti, *Journal des Savants*, juin, juillet, 1838.

Antequam singulas indoles examinandas suscipiamus, refert noscere qua specie matronarum omne genus effinxerit Plautus In Aulularia[1] dicet quam molestæ sint uxores dotatæ :

Istas magnas factiones, animos, doteis dapsileis,
Clamores, inperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nil moror, quæ in servitutem sumtibus redigunt viros.

Alias enumerat servos circa eas occupatos, artificesque quorum opera in mundum muliebrem insumitur, neque brevissima ea series est.

Periplectomenes in Milite Glorioso[2] ait cur uxorem non duxerit :

..... Nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere.
Nam bona uxor, si ea deducta est usquam gentium,
Ubi eam possim invenire? verum egone eam ducam domum,
Quæ mihi nunquam hoc dicat : eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum et calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme (hoc nunquam verbum ex uxore audias);
Verum priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat : da mihi, vir, Calendis meam quod matrem juverit :
Da qui farciat, da qui condiat; da quod dem Quinquatribus
Præcantatrici, conjectrici, hariolæ atque aruspicæ;
Flagitium'st, si nihil mittetur; quo supercilio specit!
Tum piatricem clementer non potest quin munerem, etc [3].

Non desunt apud Plautum oblatratrices personatæ. Quo vero res ridiculo majori perfundatur, addit suspiciones quibus variæ formæ sunt, pro statu mulieris, ætate mariti, et genere injuriarum ab eo admissarum.

Omnium acerrima est Artemona in Asinaria quæ, dote copiosa instructa, dotali servo freta, manu firma domum suam regit.

[1] II, 1, 45. Tres contextus habui ante oculos, Naudeti, in Biblioth. Lemaire, Ritschelii, Weisii, edit. in-8°. Prætuli plerumque lectionem Naudeti, ut magis circumspecti in emendando Plauto, et quod nostratibus facilius in promptu est.

[2] III, 1, 84, et sqq. passim.

[3] Nonne hac Periplectomenis insectatione revocatur in mentem Catonianum verbum : Scito dominum pro tota familia rem divinam facere. De Re Rustic. 143. Hic Periplectomenes negligi vetus præceptum queritur; Cato usitata apud veteres præcepta vivendi testatur. Cf. quoque illa cum questibus Strepsiadis, Aristoph., *Nub.*, 40-45.

Vix fidem adhibet parasiti verbis. Suus ei maritus virorum prudentissimus videbatur :

> At scelesta ego, præter alios meum virum fui rata
> Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume [1].

Itaque nihil ejus iræ par est quum se falsam novit. Dictitabat Demænetus se ire ad amicos, ad curiam ; lassitudinem præ se ferens uxorem arcebat. Arbitratur denique filium ab eo corrumpi, quæ alia est suæ potestatis imminutio ; ultionem igitur pollicetur :

> ...... Næ ! illum, ecastor, miserum habebo [2].

Quod audit, id animum exacuit ; subripit enim iste ornamenta uxoria ; de fœtore halitus ipsius loquitur. Tum procellæ instar uxor proripit :

> Surge, amator ; i domum [3],

quater jubet, nec desunt objurgationes, dicteria, contumeliæ. Artemona exemplar est viraginis coram qua cetera trepidant, vir, liberi, ancillæ :

> ...... Ancillas meas
> Suspicabar, atque insonteis miseras cruciabam [4].

Zelotypa minus est forsan quam imperiosa [5] ; ex verbo quoque consuetudinem imperandi et vincendi percipias. Ipsa se ulciscitur ; potest enim propter dotem et ingenii virtute. Aliæ, eadem in occasione, aliter suos torquebunt viros. Aspice ut in Rudente Dæmonem uxor observet, ut ille clamores ejus metuat :

> Sed uxor scelesta me omnibus servat modis,
> Ne qui significem quidpiam mulierculis.
> Jam meas obplebit aureis sua loquentia.
> Metuo propter vos ne uxor mea me extrudat ædibus,
> Quæ me pellices adduxisse dicet ante oculos suos [6].

In Casina, Cleostrata rationem lepidiorem excogitat. Artemona

[1] *Asin.* V, 2, 6.—[2] *Id.* V, 2, 19.—[3] *Id.* V, 2, 71, 73, 74, 75.—[4] *Id.* V, 2, 38.
[5] Cf. hæc : Illa superbiter Imperat. *Afran.* 285. *Fragm. comic. latin.* Otto Ribbeck. — [6] *Rudens* IV, 1, 3 et 14 ; IV, 4, 2.

imperiosa est, querula uxor Dæmonis, Callicles diligentissima rei cujusque exploratrix; Cleostrata astuta est, et juvantibus ancillis, quidquid suadeat timida Myrrhina, parere sueta et divortii metuens, Stalinonem fallit et vexat. Omnibus modis quorum potentes sunt feminæ, sexcentis molestiis[1], quæ tamen divortii libellum non eliciant, ulciscitur:

.... Ego illum fame, ego illum
Siti, maledictis, malefactis, amatorem
Ulciscar; ego. pol, illum probe incommodis
Dictis angam[2].

Præterea rem omnem vicinis narrat, et facile est conjectura assequi quid passurus sit propter famigeratricium illarum loquacitatem miser Stalino.

..... Nunc hinc
Meas fortunas eo questum ad vicinas[3].

Et fidem servat; nam continuo Myrrhinæ occurrit, quæ obdormiscit, quum sola est, quæque, dum linguæ indulgeat, vigilat. Specta quoque ut maritum habeat. Quidquid miser agit scrutatur. Omnia fiunt materia controversiarum et jurgiorum; et infelix ad id cogitur ut veniam poscat, et ipse uxori pro clementia gratias agat:

Lepidiorem uxorem nemo quisquam, quam ego habeo hanc, habet[4].

Non omnes tamen auctoritatem eamdem, quam Artemona, exercent, aut ut Cleostrata callidæ sunt. Dorippa[5], suspicax et jurgiosa, propter indicium vel minimum marito non obtemperat[6], contentionem movet, et apud patrem queritur, de dote imprimis locuta. At pater non usque præsto est ut interveniat.

[1] Cf. hæc: Si rus cum scorto constituit ire, clavis illico Abstrudi jubeo: rusticæ togai ne sit copia. *Titin*, 43, 44, *Frag. comic. latin.* Otto Ribbeck.

[2] *Casin* II, 1, 8. — [3] *Id.* II, 1, 13.

[4] *Casin.* V. 4, 29. — [5] *Mercator.*

[6] Dorippa, rediens rure, familiæ gnatoque precatur, mariti nomen omittit. *Mercat.* IV, 1, 13, 14, 15.

Dorippæ evenit ut res palam fiat, maritique innocentia manifesta sit. Illa tamen, quanquam clamosa, non accedit ad uxorem Menæchmi. Certe Menæchmus haud immerito reus est; uxorem autem si audies, eum fere excusatum voles :

Nam quotiens foras ire volo, me retines, revocas, rogitas :
Quo ego eam, quam rem agam, quid negoti geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim [1].

Nonne, quamvis maritus culpæ conscius sit, ultra modum ipsa eum persequitur, impellitque ut locum quærat, ubi sibi sit melius? Pater mulieris videtur filiæ naturam incusare :

Ita istæc solent, quæ viros subservire
Sibi postulant, dote fretæ, feroceis [2].
Quotiens edixi tandem tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimonia [3]?
Servirin tibi
Postulas viros? dare illi una opera pensum postules,
Inter ancillas sedere jubeas, lanam carere [4].

Difficile excogites mulierem magis iræ deditam, molestiorem, jure suo magis abutentem. Adjuvante tandem patre, ut Menæchmum conviciis, probris, maledictis exagitat! Quis obduret, etiamsi non, ut Sosiclem, eum improvisum aggrediatur ille impetus?

At non iracundam modo et suspicacem uxorem effinxit Plautus; sunt aliæ personæ matronales quibus alia species est.

Notissimum est quid sæpe acciderit in illis vigiliis, apud antiquas religiones usitatissimis, quæ flagitia in eis admissa sint. Adde quid factum fuerit de femina, ea ætate qua violentia virorum inulta maxime pollebat. Post illatam vim, aut stuprum pollicitationibus impetratum, nascebatur puer, negante

[1] *Menæchm.* I, 2, 5. Secundum Palat. Codd. a Ritschelio laudatos.

[2] *Menæch.* V. 2, 16. — [3] *Id.* V. 2, 34.

[4] *Id.* V. 2, 44. Servirin pro servire habent tres manuscripti codices antiquissimi, laudati a Ritschelio. — Eruditissimi viri lectionem usurpavi, quotiescumque congrua est cum antiquissimis et optimis codicibus. Quanquam de eo sentiendum esse fateor quod dixit de Bothio Naudetus in præfatione Plautinæ suæ editionis, Bibl. Lemaire.

patre suum esse ; sæpissime partus dissimulabatur ; infans exponebatur, aut tradebatur meretrici, ut fit in Truculento. Nonnunquam eum ægre mater educabat, tristis et infamata[1] propter vitium aut injuriam. Accidebat quoque ut casu quodam, exempli causa, bello, filia amitteretur.

Videmus in Cistellaria mulierem olim delusam, tandemque a compressore receptam, quærentem filiam permissu mariti. Nisi ut servum, cui ea cura mandata est, instimulet, aut ut sciat quid effecerit, non prodit Phanostrata. Ipsa quoque prior crepundia agnoscit e terra a Lampadisco sublata. In ea præcipuam vim habet maternus amor : artificio igitur poetæ docto et callido, ea crepundia, quæ sint, perspicit. Una est mater, cujus oculi ita pervideant, ut, elapsis tam multis annis, rem agnoscat, quam uno tantum momento conspexit, quum a filia sejungeretur. Sensu illo ceterum ejus animus versatus est et mollitus. Non ei est plerarumque matronarum asperitas. Sive ad habitum ejus respicias, sive ad paucissima verba quæ promit, lenis deprehenditur in ea gravitas, dignissima ad quam animadvertas. Sollicita fuit actu secundo ; tertio, lætitia exsultat.

Di obsecro vostram fidem !
— Quid deos obsecras? — Servate nos. — Quid est? — Crepundia
Hæc sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolam ad necem.
— Sanan'es ? — Hæc sunt profecto. — Pergin'? — Hæc sunt. — Si mihi
Alia mulier istoc pacto dicat, dicam esse ebriam.
— Non, ecastor, cassa memoro : nam, obsecro, unde hæc gentium?
Aut quis Deus objecit hanc ante ostium nostrum? quasi
Dedita opera in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit.[2]

Se præbet erga Haliscam mitem et misericordem. Cohibet servum miseram interrogantem et turbantem[3] :

Sine dicat. — Si dicat quidem. — Age, loquere tu, quid ibi infuerit.
Commoda loquelam tuam ; tibi nunc proderit; confitemur
Cistellam habere.
Ne obloquere.

[1] Ea tum compressa parit huic puerum, sibi probrum. *Cæcil.* 26, Otto Ribbeck, *Fragm. Comic. Latin.*
[2] *Cistell.* IV, 1, 11. — [3] *Id. id.* 2, 68, 75, 85.

Excidunt ex ejus ore verba exquisitissima :

Sed ego rem meam magnam confabulari
Tecum volo ; sociam te mihi adopto ad meam salutem [1].

Quum ipsa, tacente Lampadisco, Haliscam interrogat, quantam præ se fert clementiam et sinceritatem !

Ego sum illius mater
Quæ hæc gestitavit.
Mulier, perge dicere
Ubi ea est quæ gestitavit.

Quumque novit puellæ ætatem, ut exclamat !

Mea'st.
Quod quæritabam, filiam inveni meam.

Videtur, illa inventa, ejus animus lenior factus esse, verbaque edit, quæ minime sunt usitata apud Romanum poetam de servo loquentem :

Æquom postulas.
At hujus me miseret.

De serva autem agitur. Gradus recte servati sunt. Gaudio magis ac magis resolvitur ille animus, jam per se ipse mollissimus. Imago est perfecte expressa et ad veritatem adducta. Maternum amorem nemo, ne Virgilium quidem excipio Euryali matre fretum, melius reddidit et solertius.

Alia mulier vitiata est et filiam amisit, Philippa in Epidico. Non in eodem statu est ac Phanostrata in Cistellaria. Hæc licet incognita compressori nupsit. At Periphanes nondum rursus Philippam aspexit ; filiam quærit, vultque eam redimere. Jussit etiam Epidicum servum id agere, quumque arbitretur hunc paruisse, summa cura fidicinam custodit, a filio amatam et a servo emptam pecunia, qua puellam vindicare in liber-

[1] *Cistell.* IV, 2, 77. Cetera quæ sequuntur ex eadem scena excerpta sunt.

tatem debuisset. Filiam Philippæ bellum ademit, et victorem exercitum mulier subsequitur, ut illam saltem possit adhuc habere ante oculos. Scit filio Periphanis eam esse venumdatam, ejusque domum petit. Mirabilis est illius introitus in scenam :

Si quid homini miseriarum, quod miserescat misere ex animo, est,
Id ego experior, quoi multa in unum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulsant simul : multiplex ærumna me exercitam habet : paupertas,
Pavor territat mentem animi, neque ubi meas conlocem spes,
Habeo usquam munitum locum; ita gnata mea hostium'st potita :
Neque, ea nunc ubi sit, nescio [1].

At primum forte occurrit ei compressor. Invicem se agnoscunt, et inter se astutia utuntur, sed brevi fit utrinque impetus. Recordatio transacti temporis subvenit, nec desunt exprobrationes :

Hem istuc rectius
Meministin?.... — Memini id. — In Epidauro? — Ah! guttula
Pectus ardens mihi adspersisti. — Virgini pauperculæ
Tuæque matri, me levare paupertatem? — Tun'is es
Qui per voluptatem tuam in me ærumnam obsevisti gravem [2]?

Quis non animadvertat quam vehemens crimen in hac voce *per voluptatem tuam* insit ? Non autem miseriis obduruit animus. Si fuerit acerbitate mixta prima affabulatio, mox muliebris maternusque sensus superabit; neque quidquam acriorem adnotationem animumque affectus capaciorem arguit, quam hæc verba :

..... Salva sum, quia te esse salvum sentio.
Cedo manum. — Adcipe : ærumnosam et miseriarum compotem
Mulierem retines [3].

Tum de filia loquitur :

Filiam quam ex te suscepi..... — Quid eam? — Eductam perdidi.
Hostium est potita [4].

Illam ait a se repertam esse Periphanes et mater animum recipit. At in quam breve tempus! Vocatur Fidicina, et miratur

[1] *Epidic.* IV, 1, 1. — [2] *Id. id. id.* 26. — [3] *Id. id. id.* 31. — [4] *Id. id. id.* 34.

Philippa quod ea sibi offeratur, et inter odii testimonia, quod movit impudens femina, sibi ignota, vere maternum verbum profatur :

..... Aliter catuli longe olent, aliter sues; nego
Eam gnovisse quæ sit [1].

Compositio scenæ contraria videbitur, si eam cum Cistellariæ ratione conferre volueris. Ut Phanostrata primo aspectu crepundia natæ agnovit, ita Philippa Periphanem docet quantum obcæcatus fuerit. Filiam redimere in animo habuit; nescit illam agnoscere; id solæ matres norunt ;

Quid? ob eam rem hanc emisti, quia tuam gnatam ratus? quibus
De signis adgnoscebas? — Nullis. — Quare filiam
Credidisti nostram? — Servos Epidicus dixit mihi. —
Quid si servo aliter visum'st, non poteras gnovisse, obsecro?
Quid ego? qui illam ut primum vidi, nunquam vidi postea. —
Perii misera [2].

Brevis est locus, et sensus verissime et vivide expressi. Non persona Philippæ multas scenas Plautus implevit, at paucis verbis mirum in modum adumbravit partes illas inde tam sæpe repetitas mulieris desertæ, amatori ignoscentis, ab eoque natam reposcentis.

Sunt apud Terentium, optimorum affectuum quæsitorem et effictorem, matronæ nobilissimæ et ingenii mansuetissimi. Quid gratius quam illa socrus metuens ne ipsa nurui odio sit, et domum relinquere parata, ne illam offendat [3]? Nec sola, ut prudens benignaque et modesta, ostentata est. Quid vero? Num imperiosiores tantum feminæ, num intractabiles uxores apparebunt apud Plautum? an, quo mitiores sensus demonstret, calamitate fractas et mitigatas inducet? Et ipse mitissimas personas habet, et recti observantissimas, figuratas callidissime.

Primam omnium laudabo sacerdotem fani Veneris quæ est in Rudente. Omnia conveniunt quo dignior veneratione videatur, ætas, sacrum munus, misericordia. Effingitur statim, illa

[1] *Epidic.* IV, 2, 9. — [2] *Id. id. id.* 26. — [3] Terent. *Hecyr.* IV, Sc. 2.

severitate quæ anum deceat, morem fani colendi prius memorans :

Æquius vos erat
Candidatas venire, hostiatasque; ad hoc
Fanum ad istunc modum non veniri solet [1].

Mox vero benigne excipiens benignas supplices, illasque, etsi pauper ipsa, juvans omni ope :

Manus mihi date, exsurgite a genibus ambæ :
Misericordior nulla me est feminarum [2].
Quidquid est,
Comiter fiet a me, quo nostra copia
Valebit [3].

Nec ea vana sunt verba. Quod si metues, verum audies ex ore Ampeliscæ :

Ut lepide, ut liberaliter, ut honeste atque haud gravate
Timidas, egenteis, uvidas, ejectas, exanimatas
Adcepit ad sese! Haud secus quam si ex se simus natæ [4].

Una res additur ingenuitate narrantis, quæ clarius etiam personam ante oculos proponit :

Ut eapse sic subcincta aquam calefactat, ut lavemus !

Hospitale officium quod animi facilitatem præcipue declarat, quoque absolvitur beneficæ sacerdotis effigies, quam fere christianam et christianis sensibus animatam credas.

Species quoque singularis est illius anus ; quippe quæ sola inter honestas mulieres omnino sui juris esse videatur.

Nulla femina, mariti vel absentia, vel morte, vel divortio emancipabatur. Viduæ sub tutelam patris aut ejus qui genere proximus erat veniebant [5], ideoque ut virgines in interiore parte domus permanebant. Alia erat sacerdotum alicui templo addictarum conditio. Bonorum dominio Vestales, exempli gratia,

[1] *Rud.* I, 5, 11. — [2] *Id. id. id.* 22. — [3] *Id. id. id.* 22. — [4] *Id.* II, 3, 77.
[5] *Menæchm.* I, 2, 4 *Stich.* I, 1, 52 et I, 2, 71.

fruebantur; prodibant in publicum; locum etiam habebant in Ludis, et fere utebantur virorum jure [1]. Quamobrem persona illa misericordis mulieris, fugitivas excipientis, sacerdoti tantum attribui potuit, ne res fidem excederet.

Licet viduis non is esset locus in antiquo proscenio, quem in nostro habuere, unam viduæ personam proponit Plautus in Aulularia, Eunomiam scilicet [2].

Proba mulier est, benigna in fratrem, filii amantissima sexus sui vitiorum haud ignara. Profecto velim eam minus aperte se ceterasque mulieres incusare. Loquentem in illis versibus poetam ipsum nimis agnosco; ridiculum ille intendit ultra veri modum. Sunt vero in ejus partibus quæ immerito respuas. Non sincera et ingeniosa notatione caret illa nuptialis negotiationis tentatio. Anus sæpe versat illa cupiditas. Jam fratrem, jam amicam mulierem sponsione destinavit Eunomia, sive otio, sive utilitatis alienæ gratia [3]. At, ut bona, ita mobilis ingenii est. Vix Euclionis filiam se petiturum esse Megadorus dixit, quum de proposito cedit Eunomia, probatque quod frater facere instituit. Æque inconstantem se testatur, quum precanti filio Lyconidæ nihil objicit, significatque se impetraturam esse a Megadoro ut mutet sententiam.

Verum fortiores indoles adeamus. Licet. Quid enim certius, quid fidelius, quid laude dignius, quam Pinacii [4] ingenium in Sticho. Ea est casta et tenax propositi materfamilias romana [5], cujus fidem nihil pervincit. Absunt jamdudum mariti,

[1] Plut. *Num.* 14. — [2] Cf. *Aulul.* IV, 10, 53. Meus fuit pater Antimachus, ego vocor Lyconides, Mater est Eunomia.

[3] Procul dubio est ea mulier mediæ ætatis (*Aul.* II, 1, 37) vidua Eunomiæ ad instar. Megadorus hoc in loco controversiam dirimit sæpe a comicis propositam : Utra sit conditio pensior virginemne an viduam habere? (*Stichus*, I, 2, 61.) Vide quoque verba hæc Nævii : Utrum est melius virginemne an viduam uxorem ducere? — Virginem si musta est (Otto Ribbeck, *Frag. Comic. Latin.* Næv. *Gymnastic.*, 53).

[4] Vide in prolegomenis Ritschelii ad Stichum perquam probabilem conjecturam de mutandis nominibus *Pinacium*, *Panegyris*, in alia, *Philumena*, *Pamphila*, quæ profert Ambrosianus codex.

[5] Genus enim est uxor; ejus duæ formæ, una matrumfamilias, earum quæ in manum convenerunt; altera earum quæ tantummodo uxores habentur. Cic.

et lege non prohibitum est quin alteras nuptias sibi paret; urget pater, ut id faciat; videtur soror, in eo esse ut pareat patri; manet illa nihilominus in sententia stabilis. Mirabilis est utriusque sororis disputatio. Ut fieri solet in talibus poetarum inventis, non æque ambæ firmæ sunt. Pinacium Panegyris debiliorem animum confirmat. Fere Lucretia digna sunt hæcce verba ;

Nostrum officium nos facere æquom'st [1].
An id doles, soror, quia illi suum officium
Non colunt, quom tuum facis [2].
Meo animo omneis sapienteis
Suum officium æquom'st, colere, et facere [3].
Etsi illi inprobi sint, atque aliter
Nos faciant, quam æquom'st, tamen, pol,
Ne quid magis simus omnibus obnoxiæ opibus,
Nostrum officium meminisse decet [4]

At necesse est consocietur et pietas erga patrem, et amor in viros. Quid faciendum sit, si pater nimius sit in instando, docet Pinacium ·

Adversari sine dedecore, et scelere summo haud possumus.
Neque ego sum factura; neque tu ut facias, consilium dabo;
Verum ut exoremus. [5]

Et rursus :

Pudicitia est,
Eos magnificare, qui nos socias sumserunt sibi [6].

Romana verba sunt et quæ referant in mentem illud Virgilianum:

Casta pudicitiam servat domus [7].

Topic., 3. Meyer. *Etud. sur la coméd. latine*, p. 167. Dubief, *Qualis fuerit romana familia tempore Plauti*, *1859*.

[1] *Stich.* I, 1, 6, ap. Naudet. cujus retineo lectionem, ut quam Ritschelius in Ambrosiano codice legi fateatur et in Palatinis. — [2] *Stich.* I, 1, 38, Naudet. *Quom tu tuum facis.* Ritschel. 36, ex Ambrosiano et uno Palatino, iambico systemate versuum. — [3] *Stich.* I, 1, 38, Naudet.

[4] *Stich.* I, 1, 38, Naudet. cujus retineo lectionem, fere concordantem cum Ambrosiano codice. — [5] *Stich.* I, 2, 24, retineo Naudeti lectionem, licet Ritschelius ex Fleickesenii conjectura, propter scripturæ turbas in Ambrosiano, *id* ante *sum* adjiciat. — [6] *Stich.* I, 2, 43. — [7] *Georg.* II, 523.

Omitto cavillationes Plautinas ad summam caveam spectantes. Sed poetam exemplum matronæ imitandum, et imaginem unde probi desumantur mores proponentem non fefellit musa sua, et illam personam, quanquam leve est reliquæ fabulæ argumentum, facile dixerim unam ex his esse quæ artem eximiam in pingendis muliebribus ingeniis maxime commendent. Est tamen aliquid præstantius; Alcumenam dico Amphitruonis. Virtutem in luce splendidiori ponit, quum detecta est, iniqua criminatio. Ei graviora et vibrantiora verba commodat innocentiæ falsc insimulatæ conscientia. Plenior est, clariorque et ipsa, ut ita dicam, magis est. Non contendo ob eam causam fabulam suam a Plauto structam esse; quum vero ita se daret argumentum, eo sic usus est, ut, si quis diligentius attendat, liceat ei præcipuam actionis partem dignoscere in Alcumenæ morum expositione. Quid enim? Prætereamus Sosiæ et Mercurii jocosam similitudinem, Amphitruonis errorem et iram, quæ potius accessoria ornamenta sunt, quam rei ipsius fundamentum. Quid præcipue movet animum, ut primum dictum est Alcumenæ nomen? Ad cujus sortem, facta, dicta præsertim animadvertimus, nisi mulieris? Quanta sollicitudine et in prologo id curavit poeta ut a principio noverimus eam esse deceptam, ne vel minimum de ejus integritate animi sit dubium :

Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Utrimque est gravida, et viro, et summo Jove[1].
Sed ita assimulavit se, quasi Amphitruo siet[2].
At illa illum censet virum
Suum esse, quæ cum mœcho est[3].

Commoratur pluribus in verbis, iterumque iterumque rem denuntians :

Pater curavit uno ut fœtu fieret,
Uno ut labore absolvat ærumnas duas,
Et ne in suspicione ponatur stupri,
Et clandestina ut celetur suspicio[4].
.... Nemo id probro
Profecto ducet Alcumenæ[5].

[1] *Amph.* Prol. 110. — [2] *Id. id.* 115. — [3] *Id. id.* 134. — [4] *Id.* I, 2, 25.
[5] *Id. id. id.* 30.

Considera nunc Jovis et Alcumenæ confabulationem : nonne ea vera est effigies absolutæ matrisfamilias[1]? Audis enim blandas illas de viri absentia querelas, quarum tamen nulla pudicitiæ, quæ matronam decet, oblivionem arguit. Amat Alcumena, nec minus casta est. Sive in verborum delectu, sive in affectuum significatione, nihil est quod reprehendas. Ut maritum diligit, ita rem communem curat, et id nimis assidue facit, ut quam imparcere sibi jubeat sedulus conjux. Adde erga servos illam clementiam, probæ indolis certum indicium, quod agnoscere facile est in omnibus a Plauto personis muliebribus effictis quæ supra vulgus se attollunt ut est Phanostrata in Cistellaria. Prohibet enim nec modo semel Jovem Mercurio minantem. Particeps est Alcumena omnium mariti commodorum; absentiam ejus gloriæ quam sibi parit cogitatione solatur.

Sed hoc me beat saltem, quod perduelleis vicit et domum
Laudis compos revenit : id solatio 'st. Absit; dummodo
Laude parta domum recipiat se : feram et perferam usque
Abitum ejus animo forti atque obfirmato, id modo si mercedis
Datur mihi, ut meus victor vir belli clueat; satis
Mihi esse ducam[2]

At nunc postquam indoles optima Alcumenæ in tranquillis rebus se totam explicuit, superest ut videamus quæ futura sit in turbidis. Incipit igitur continuo contentio propter inexspectatum Amphitruonis reditum orta. Difficile erat et iræ sensim crescentis vim exprimere, et servare matronale decus. In quo tamen non cecidit Plautus. Vide primum quanta ingenuitate, quod irrisionem esse credit, queratur; ut ferat ægre objurgationes viri quæ fiunt semper asperiores, nec subito ad indignationem veniat. Verum supra cetera est illa lepida narratio, in qua potest quodque verbum in obscenitatem incidere, quæ tamen nusquam pudici sermonis, qui inter conjuges haberi possit, modum excessit. Ne unam quidem vocem in Alcumenæ ore reprehensione dignam inveneris. Animadverte simul, ut materfami-

[1] Majestatem et nominis matronæ sanctitudinem. Afran. 316. *Fragm. comic. lat.* Otto Ribbeck. — [2] *Amph.* II, 2, 12.

lias nunc insimulata dignitatis suæ studiosa sit. Quæ modo veniam servo nimium jocanti virum rogabat, jam illius dicacitatem non patitur.

> Verum tu magnum malum habebis, si hic suum officium facit.
> Iterum jam in me inclementer dicit, atque id sine malo[1]?

Non tamen statim amor abit; nondum irascitur Alcumena et Amphitruoni pudicitiæ vitium objicienti respondet:

> Obsecro, ecastor, cur istuc, mi vir, ex ted audio[2]?
> Quid ego tibi deliqui, si, cui nupta sum, tecum fui?

Sensim vero fit jurgium gravius; innocentia freta ardescit Alcumena:

> Istuc facinus, quod insimulas, nostro generi non decet:
> Tu, si me impudicitiæ captas, non potes capere[3].

Jam ad sacramentum venit; quod quidem dignum est quod hic referam;

> Supremi regis regnum juro, et matremfamilias
> Junonem, quam me vereri et metuere 'st par maxume,
> Ut mi, extra unum te, mortalis nemo corpus corpore
> Contigit, quo me inpudicam faceret[4].

Jam illa verba profert, quibus non gratius aut generosius quidquam reppereris:

> Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur;
> Sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem,
> Deum metum, parentum amorem, et cognatum concordiam:
> Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis[5].

Exagitant Amphitruonis probra teneram mulieris mentem. Magnanima est, non dedecus facile tolerat, et frementem in scenam poeta eam inducit:

> Ita me probri,
> Stupri, dedecoris a viro argutam meo[6]!

[1] *Amph.* II. 89 et 110. — [2] *Id.* 180 et 185. — [3] *Id. id.* 2, 188. — [4] *Id. id. id.* 201. — [5] *Id. id. id.* 209. — [6] *Id.* III, 2, 1.

Jam profectionem meditatur, quum sub Amphitruonis imagine obtectus accedit Jupiter. Illum verbis mulctat, aversa obtueri se velle negat, inimicum inclamat; jocum istiusmodi, quum jocum fuisse Jupiter dicat, de se factum esse queritur; amorem deinde testatur suum suavissimis illis verbis :

> Ego illud scio, quam doluerit cordi meo [1].

Audi mulierem, dum abire parat, elatissime loquentem :

> Valeas; tibi habeas res tuas, reddas meas,
> Juben' mi ire comites? — Sanan' es? — Si non jubes
> Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero [2].

At mulieris amantis animum excusatio blanda mox conficit; ira facile deponitur; ipsa malum amato capiti deprecabitur :

> Ah! propitius sit potius [3]!

Concordia fiet iterum, et licet maluisset nihil tale accidisse, feret, et officium pari atque prius diligentia resumet :

> Primum cavisse oportuit, ne diceres;
> Verum eadem, si isdem purgas, mihi patiunda sunt [4]!

Ea est Alcumena, cui ne Molerius quidem præstantissimo ingenio par aliquid concipere valuit, nedum pulchrius excogitaverit. Quid dulcius, quid perfectius effingi potest. Virtuti accedit decor et gratia. Illa inter matronas suæ conditionis feminis pro exemplo proponenda est. Fere attigit in illis poeta formam et speciem illam pulchritudinis eximiæ, quæ cadit in personas comicas, seque artificiosissimum et versutissimum præbuit.

[1] *Amph.* III, 2, 41. — [2] *Id. id. id.* 47. Patriciæ matronæ Alcumena certe effigies est. Etenim quæ verba profert pro formula habentur in divortio; divortium autem est confarreationis, id est, patricii matrimonii dissolutio. Cic. *Philipp.* II, 28; *Topic.* 4. Adde verbum quod supra vidimus : generi meo.
[3] *Amph.* III, 2, 54. — [4] *Id. id. id.* 63.

II. — DE PUELLIS INGENUIS.

Rarissime virginem liberam, quæ, antequam in matrimonium daretur, domi manebat, procul non modo a viris, sed etiam a feminis parum castis[1], oculis caveæ subjiciebant veteres. Ut intus sedere matronis erat decorum, ita multo magis virginibus, quibus, ut patrum potestate mancipatis, nulla erant jura matronalia, nec ideo sæpius magnas partes habere poterant in comicis actionibus. Sunt vero in fabulis Plauti nonnullæ puellares personæ, quas non ullo nomine licet inter meretrices collocare, quarumque duæ potissimum singularem habitum præ se ferunt, Telestis in Epidico, et in Persa, filia Saturionis.

Mentio est apud Plautum sororis Lesbonici, in Trinummo, Lysicli sponsæ, et Phædræ in Aulularia. Ut fere omnes ingenuæ virgines, illa non ipsa apparet, neque quidquam dicitur quo eam animo concipiamus. Euclionis vero filia locum habet in sermonibus anus ancillæ quæ secreti ejus particeps est, Megadorique qui vult eam ducere, et Lyconidis qui peccatum, quod in eam admisit, confitetur. Inter ea, quibus ejus præcipue natura exprimitur, notabo pietatem erga Larem familiarem, propter quam ei gratiam refert :

> Huic filia una est : ea mihi cotidie
> Aut ture, aut vino, aut aliqui semper subplicat ;
> Dat mihi coronas : ejus honoris gratia
> Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
> Quo eam facilius nubtum, si vellet, daret [2].

Megadorus eam ducit indotatam sed *recte moratam*[3]. Nil vero amplius afferas ; puella est sapiens, honesta, verecunda, pia ; cui res accidit apud antiquos frequentior ; verum illius indolem ex industria, et ut morem sequeretur, ut opinor, poeta non plenius illustravit.

[1] *Epidic.* III, 3, 20 et sqq. — [2] *Aulul.* prolog. 23. — [3] *Id.* II, 2, 62.

Præter sponsionem nuptiarum legitimam, et illatam injuriam, paucissimæ erant causæ ob quas in publicum puellæ possent educi. Duas tamen memorat Plautus, et eas animadversione dignissimas, belli calamitatem, usuramque quam suorum tanquam dominii pater facit.

Telestis in Epidico recens capta est; nondum ullo modo diuturni servitii affectionem aut pessimæ institutionis sensit. Ut quæ lepidissima sit, forsan infami servituti esset obnoxia, et in meretricum ordinem recederet, nisi fortunæ beneficio ei occurreret Epidicus. At memoriam sensusque libertatis servavit. Ut primum locutus est servus, exclamat; nec lætitiæ impetum dissimulat, quum libera est et apud parentes:

> Di me ex perdita servatam cupiunt, si vera autumas[1]?

Unum ex primis verbis ad patrem spectaverat:

> Quid? pater meus. Vivo' st[2]?

Aspice ut Stratippoclem cohibeat:

> Nunc enim tu mea es,

ait adolescens; at illa:

> Soror quidem, edepol, ut tu æque scias[3].

Vulgo meretrices aliquem dolum ad exitum perducunt. Plautus autem in Persa puellam ingenuam nobis ostentat consciam et adjutricem factam servi mulierem amatam fraude abducentis a lenone. At pater illius est parasitus. Rem mirandam! Homo ingenuus ad voluntatem alterius servili conditione ita convertitur, ut ei propriam filiam tradat. Inopia ad indignum obsequium eos impellit, quibus præcipue vera disciplina defuit, quorumque animus non mansit integer. Iste, nisi prius corruptus esset, non rem familiarem absumpsisset. Ut ad parasiticam operam descenderet, necesse est eum fuisse nequam. Quis

[1] *Epidic.* V. 1, 37. — [2] *Id. id. id.* 36. — [3] *Id. id. id.* 41.

miretur eum eo pervenisse? Scena haud absimilis occurrit in Aristophanis Acharnensibus. Megarensis quidam ad ultimam inediam redactus filias suas venumdat. Ille ad eam necessitatem bello compellitur; Saturio autem gulæ et desidiæ persuasu. Illam se vendere, fateor, simulat; ejus tamen libertatem et pudicitiam adducit in periculum. Dubius est paulisper :

> Tun' illam vendas.
> Pereunt reliquiæ.
> Posterius istuc tamen potest [1].

Res vero brevi decreta est. Unus est ex illis Quiritibus omni ope destitutis, flagitiorum parariis qui se ipsos modiorum aliquot pretio vendunt. Patrono sportulam abnuente, mox parent :

> Quæso, hercle, me quoque etiam vendas, si lubet,
> Dum saturum vendas [2].

Videtur mihi græcum exemplar parasiti hinc abesse, ut locum habeat esuriens romanus proletarius. Ex aliquo capite censo divitis viri cliente illa forma desumpta est, homoque Plauto sæpissime circa comitia, quum magistratus crearentur, fuit obvius. Operæ pretium est cernere quæ sit istiusmodi hominis filia.

> ...... Forma lepida et liberali est[3],

ait Toxilus; et continuo Saturio, patroni minis et pollicitationibus victus, hæc addit :

> Ter tanto pejor ipsa 'st, quam illam tu esse vis [4].

Virgo ipsa procedit in scenam, actu tertio. Illam sui consilii certiorem fecit pater, cujus prius dolos adjuturam se negat, rem talem indigne ferens :

> Tuin' ventris causa filiam vendis tuam?
> Utrum tu pro ancilla me habes, an pro filia [5]?

[1] *Persa*, I, 3, 55 et sqq.— [2] *Id. id. id.* 65.— [3] *Id. id. id.* 50.— [4] *Id. id. id.* 73.
[5] *Id.* III, 1, 10, 13.

Addit monita :

Quamquam res nostræ sunt, pater, pauperculæ,
Modice et modeste meliu 'st vitam vivere :
Nam, ad paupertatem si admigrant infamiæ,
Gravior paupertas fit [1].

Nec illi deest debita patri reverentia. Dixerat :

Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ reticet, si quid fieri perverse videt [2].

« Malusne ego sum », recipit Saturio ; at illa :

...... Non es, neque me dignum 'st dicere :
Verum ei rei operam do, ne alii dicant quibus licet [3].

Cedit tandem paternæ voluntati romana ferocia expressæ :

Meum, opino, imperium 'st in te, non in me tibi.
— Tua istæc potestas est, pater [4].

Partes quæ sibi tribuuntur accipit :

Necessitate me, mala ut fiam, facis.
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet [5].

Stantem coram lenone non illam sua prudentia deficit, et per dolosa verba, quæ docta est, perlucet quam contemnat eos quibuscum versatur :

Urbis speciem vidi, hominum mores prospexi parum.
Si incolæ bene sunt morati, pol:re munitum arbitror [6] ;

miro modo respondet interroganti lenoni. Rem bene gerit in ancipiti statu, et, licet non mentiatur, aggerit ea verba quæ

[1] *Persa*, III, 1, 17. *Si* pono post *paupertatem*, cum Ritschelio, fere omnibus codicibus freto. — [2] *Id. id. id.* 37. — [3] *Id. id. id.* 43.

[4] *Id. id. id.*, 15. Recipio lectionem Ritschelii, cum Ambrosiano codice ; tum vero pro vulgato *opinor*, *opino* habendum est secundum Fleickesenii conjecturam. — [5] *Id. id. id.* 54 et 70. — [6] *Id.* IV, 4, 2 et 6. Non recipio Meyeri sententiam filiam Saturionis pro femina philosophante habentis. Plautinus jocus est ; philosophiam ad poetam ipsum attribuas, non ad personam.

potissimum Dordalum fallant. Nescio an, diversi generis habita ratione, simile sit diverbium illud notissimo unius nostratis poetæ tragœdiæ alterno sermoni [1]. Quamvis patri fiduciam habeat, et adhortationibus Toxili recreetur, enodationem paulo tardiorem esse arbitratur :

> Pater nunc cessat. — Quid si admoneam? — Tempus est [2].

Quo superveniente, rursus fit læta :

> Salve multum, mi pater,
> Pater hic meus est [3].

Ex eo tempore nullum ex ejus ore verbum excidit ; functa est enim suo ministerio, prosceniumque relinquit, non reditura. Quod de ea judicium ferendum est? Num id quod augurari debuimus ex Saturionis verbis *ter tanto pejor est*? Non equidem opinor. Virgo multo melior est patre ; ei est in animo illa gravitas, illud consilium quod Romanam decet. Verum dubito num Lucretia aut Cornelia altera futura sit. Necesse est ante omnia maritum inveniat, et quamvis dotis loco *sexcentos logos* datum iri Saturio polliceatur, misellæ assentior :

> Verum videto me ubi voles nubtum dare,
> Ne hæc fama faciat repudiosas nubtias [4].

Metuo ne nullus alius eam ducturus sit, nisi parasitus, patri similior, et licet sapiens quasi præda objecta est flagitiis et fraudibus. Nescio an Acroteleutii, quam spectabimus ultra, sors illam maneat ; propter ipsum ingenium hac aut illa die peribit. Videbimus filias a matribus suis libidinibus traditas ; hic autem honesta virgo patri pravo reluctatur, et is pater liber civis est. Nondum eodem malitiæ matrona venit ; et exspectandum est donec ad pessima imperii tempora descenderimus [5]. At vir prior, ut qui in foro omnibus artibus permistus vivat,

[1] Racin. *Ath.* act. II, sc. 7. — [2] *Persa,* IV, 7, 14. — [3] *Id. id.* 9, 2 et 4.
[4] *Id.* III, 1, 55. Recipio lectionem Ritschelii, freti codicibus omnibus.
[5] Petron. *Satyr.* 110. Matrona inter primas honesta, etc.

pudorem omnem deposuit, et paterna potestate in obnoxiam filiam abusus est.

III. — DE MERETRICIBUS.

Venio nunc ad meretrices, quæ maximi momenti persona est in veterum comœdia, quum earum mulierum fere tantummodo amores in scenam exhibeantur. At certe solæ apud Plautum affectus ejusmodi profitentur, sive tum non liceret liberam feminam vitio indulgentem coram populo effingere, sive reipsa, nondum perversis moribus, rarius esset matronalium flagitiorum exemplum, quam ut in ridiculi jus venisset [1]. Meretrices contra eo tempore fiebant *muscis æstate numerosiores* [2]; e Græcia lasciviam, elegantiam, omnia vitia, omnesque illecebras secum advexerant. Denique præter spectaculum, quod oculis ipse cernebat, amplam materiam ea de re in græcis exemplaribus inveniebat Plautus. Ideo frequentissimæ sunt apud eum.

Meretricum aliæ servæ sunt, aliæ liberæ. At inter illarum sortem et ancillarum conditionem multum distat. Si quædam meretrices lenonis impuri et avidi, qui eas verbis male mulctat et ad turpe ministerium cogit, dominationi parent, non subjectæ sunt gravissimis servitii laboribus. Earum pulchritudinis cura, ipsa suæ utilitatis affectatio herum ad id impellunt ut eis parcat. Denique, sive illa usitata in theatro veterum agnitione, seu voluntate liberalis amatoris, in libertatem pleræque vindicantur. Inde conditione media fruuntur, ita ut secerni debeant ab iis quæ vere serviunt. Rursus, quæ liberæ sunt ipsæ, sæpe servæ fuerunt, libertæ sunt, et clientæ sive eorum qui olim illas amaverunt, seu civium qui, dum illas tuentur, eorum ex statu varias utilitates percipiunt [3]. Verum inter eas est aliquid commune, non dicam artificium, quod quibusdam non ita se res habet, sed

[1] Vide notam eximiam Naudeti ad versum 812um Casinæ, Biblioth. Panckouck., Plaut. T. III, p. 129. — [2] *Trucul.* I, 1, 46.

[3] *Cistell.* I, 1, 30 et sqq. *Mil. glor.* III, 1, 192

vivendi genus. Sunt in civitate et ideo in comœdia ordo discretus a ceteris, cui mores sunt proprii, usus et species universis addita, quam tamen distinguunt certæ diversitates. Quæ quidem noscendæ sunt, ut appareat quem aspectum induerint apud Plautum.

Ordior ab eis quæ flagitio et libidinibus mersæ omnem honesti sensum amiserunt, factæque sunt illæ formidandæ belluæ quibus vix nomina digna inveniuntur :

Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium[1].
Pandite atque aperite propere januam hanc Orci, obsecro[2].
Bacchides, non Bacchides, sed Bacchæ sunt acerrumæ,
Apage istas a me sorores quæ hominum sorbent sanguinem.[3]
Probri perlecebræ et persuastrices[4].

Illæ liberæ sunt, aut temporariis pactionibus obligatæ. Ditescere cupiunt. Num credendum est id fieri, ut postquam senuerint, placido otio fruantur? Quod minime opinor[5]; tum enim videntur filias suas, aut subreptas puellas, quæstus causa, ad vile munus informantes. At ut satientur cibo et potu, ut vinolentiam et gulam expleant, qui soli instinctus in eis maneant, ut quoque male faciant. Pravitas illis natura facta est. Belluæ sunt revera, neque verbum nimium est. Illas juvat opes evertere hominum, corpus et facultates exhaurire, sanguinem sorbere. Omnia tempora, omnes litteræ habuere satiras vehementes adversus tale feminarum genus. Attamen semper vivunt flagello poetarum fractæ quorum ingenium eis notandis lassatur. Non hac de re Plautus quoquam inferior est.

Illas ostendit quæ artem profitentur. Matres adsunt, flagitii hortatrices. Hoc modo Philocomasium mater militi tradidit, aut saltem ad ejus raptum connivit[6]. Cleæreta in Asinaria, Lena, Gymnasii mater, in Cistellaria, omne consilium suum explicant. Quum ipsæ sua ætate usæ sunt, quumque sensim in præceps ruentes, evaserunt,

[1] *Asin.* I, 2, 7. — [2] *Bacch.* III, 1, 1. — [3] *Id.* III, 1, 4. — [4] *Id.* V, 2, 47.
[5] *Trucul.* Meretricem ego item esse reor, mare ut est; quod des devorat, nec unquam Abundat. II, 7, 16. — [6] *Mil. Glor.* II, 1, 26 et sqq.

Diobolareis, schœnicolæ, miraculæ,
Cum extritis talis, cum crotilis crusculis,
Capillo scisso et exscissatis auribus [1].

subsidium habent in filiabus :

Repuli ad meretricium quæstum, nisi ut ne esurirem [2].

Videre est in Asinaria et Cistellaria, ut illas erudiant, quibusque argumentis ut illas persuadeant utantur.

Ecastor, haud me pœnitet, si, ut dicis, futura es;
Nam si quidem ita eris, ut volo, nunquam Hecala fies :
Semperque istam, quam nunc habes, ætatulam obtinebis,
Multisque damno, et mihi lucro sine meo sæpe eris sumptu [3].

« Stulte ecastor » fecit, ait mater Gymnasii, loquens de indulgentia quam erga Silenium adhibuit Melænis.

At mulierum istius modi absolutissima est Cleæreta in Asinaria. Nonne audet materna auctoritate niti?

Hoccine est pietatem colere, matris imperium minuere [4]?

Immanis est farrago illa objurgationum, turpium consiliorum, querelarum :

An tu tibi
Verba blanda esse aurum rere? Dicta docta pro datis?
Ultro amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi jubes.
Illos qui dant, eos derides; qui deludunt, deperis.
An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si moriatur mater sua?
Ecastor, nobis periculum magnum et familiæ portenditur,
Dum ejus exspectamus mortem, ne nos moriamur fame [5].

Quid agatur de pecunia ita quæsita, facile conjicias. Servili natura creatæ, vix e servitute elapsæ, ad servilia vitia sunt

[1] *Fragm. Clitellariæ,* 9 et sqq. quæ *Cistellariæ* attribuenda puto ex disputatione Ritschelii, *Parerg. Plaut.* 174 et 195. — [2] *Cistell.* I, 1, 43.
[3] *Cist.* I, 1, 50. — [4] *Asin.* III, 1, 6. — [5] *Id.* III, 1, 21.

proclives. Illis crapula sola voluptas est. Audias loquentem lenam in Cistellaria :

> Raro nimium dabat quod biberem ; atque id merum
> Infuscabat [1].
> Me complevi flore Liberi [2].

Quam verecundiam in talibus invenias? Cleæreta misero Argyrippo, quid sibi proponat impudenter aperit. Ingrata est ex industria ; pacta exsolvit :

> Par pari datum hostimentum est [3].

Fidei satisfecit, frugi est suo modo. Quid enim lenæ amator est? « Piscis, qui nequam'st nisi recens. » Jure suo utitur, quum utilitati suæ inservit. Audacter arcanum artificii declarat :

> ..... Hic noster quæstus aucupii simillimu'st [4].

et reliqua.

Flagitium apparet, quam invisissimum, turpissimum, deformissimum, nec ulla re corrigitur illius immanitas. Profecto mores temporis in hoc nonnihil contulerunt. Queritur enim in Cistellaria lena quod summatum matronarum fastidiis et cupidine clientelarum mulieres sui similes in abjectione detineantur [5]. Non autem omnes eo dedecoris et ignominiæ recidunt, et ipsius naturæ humilitati tribuendi sunt viles adeo sensus.

Vetulæ sunt Lena et Cleæreta ; ea clausula est meretriciæ vitæ; quæ vero fuere, quum ætate florerent? Id ipsum sub aliis nominibus significabit Plautus. Oculos verte ad Phronesium Truculenti. Lepida est et bene culta. :

> Ver vide,
> Ut tota floret, ut olet, ut nitide nitet [6]!

Ingeniosa est : quam scite enim puerperam simulat, et militem

[1] *Cistell.* I, 1, 20. — [2] *Id.* I, 2, 20. — [3] *Asin.* I, 3, 20. — [4] *Id.* I, 3, 63.
[5] *Cistell.* I, 1, 35 et sqq. Adde quod semper erant in tutela libertæ. T. L. XXXIX, 19. — [6] *Trucul.* II, 4, 2.

adulatur! quanta vero ejus est avaritia, quantus dolus, quanta perfidia, quam ingratus animus, quam perversus! Ut miserum Dinarchum deludit, munusque ab eo aufert! Ut simul spoliat et rusticum, et militem; denique ut novit, quum abscedit Dinarchus, puerum ut relinquat, ab illo impetrare! Ut sibi parat eam fortunam, ut postea redeat!

> Sed tamen
> Cogitato, mus pusillus, quam sit sapiens bestia
> Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam,
> Quia, si unum ostium obsideatur, aliud perfugium quærit.
> Ubi domi metues malum,
> Fugito huc ad me, saltem amicus mihi esto manubiarius [1].

Num gratiam illam Dinarchus sperare debet? Ille arbitratur; ait enim: *operæ ubi mihi erit*, *ad te venero*. At inconsultus est. Quod ad militem spectat, Phronesium quibus præceptis utatur denuntiat, et valde timeo ne illa Dinarchus ipse posthac experiatur:

> Propter hunc spes etiam est hodie tactum iri militem;
> Quem ego, ecastor, mage amo quam me, dum id, quod cupio, inde aufero,
> Quæ quam multum abstulimus, haud multum adparet, quod datum'st.
> Ita sunt gloriæ meretricum [2].

Ista profecto discipula fuit Cleæretæ cujusdam, aut lenæ matri Gymnasii similis. Quod quidem haud ægre crediderim, quum impudentissima, audacissimaque videatur, quumque ad pueri suppositionem ita facile se accingat. Ceterum ei sua mater opem commodat, mulieris ritu istius modi rerum peritissimæ. Ipsa vero callidissima est. Forsan aliquid in senectutem seponet; at non id est pro consuetudine ordinis [3]. Si venerit inopinatus casus, periculum est ne illarum quas dixi finem habeat: præterea me fugit qua re deinde mentem et animum exercitura sit. Illam manent crapula et vita infamis.

Sunt ambæ Bacchides ejusdem generis [4]. Tam aptæ sunt ad misericordia tangendum adolescentem, amicitiæ recordatione,

[1] *Trucul.* IV, 4, 14 et 26. — [2] *Id.* IV, 4, 34. — [3] *Id.* II, 7, 16. — [4] *Bacchides.*

voluptatum illecebris, quam ad incendendum rursus senes libidinosos. Nihil est in illis laudabile. Nihil invenias, neque intelligentiam, neque dicendi leporem. Inurbana verba *piscis*, *piscatus, agnas detonsas*, quæ profecto mutuantur a sermone illorum quas fortunis everterunt, habent tantum in ore. Nihil eas amare testatur; corde carent.

Quid dicam de Delphio? In duabus tantum scenis partes agit; at indolem ejus facile defingas. Assueta est comissationibus, nec perpotationes reformidat, morigera amantibus, quos curat temulentos, quod inde victus ei est. Qua re ei opus est? Dicet Callidamates :

> Date illi quod bibat; dormiam ego jam [1].

Aliud est ingenium Erotii. Illa meretrix est elegantior, quæ lautam sibi mensam esse curat epulasque amantibus exquisitissimas exstruit, a quibus munera exigit. Eo fruitur quod domi discordia habitat, et festivitate, comitate sua maritum ad se trahit :

> Cape tibi hanc, quando una vivis meis morigera moribus [2],

ait Menæchmus subreptus. At illa contra :

> Intus para, cura, vide;
> Quod opust fiat; sternite lectos,
> Incendite odores: munditics,
> Inlecebra animost ea amantum.
> Amanti amœnitas malost, nobis lucrost [3].

Diu blanda est, grata, officiosa. Quam vero cito natura recurrit, ut Menæchmus subreptus rogat eam ut placandi jurgii domestici causa pallam reddat! Non feminam, sed Furiam habet ante oculos :

> Nec te ultro oravi, ut dares;
> Tute ultro ad me detulisti, dedisti eam dono mihi:

[1] *Mostell.* I, 4, 30. — [2] *Menæchm.* I, 3, 19.
[3] *Id.* II, 3, 2. Recepi lectionem et dispositionem Ritschelii, ex Hermanno petitam ut quæ magis codicibus mss. sit conveniens.

Eamdem nunc reposcis : patiar, tibi habe ; abfer, utere,
Vel tu, vel tua uxor, vel etiam in loculos compingite.
Tu huc, post hunc diem, pedem intro non feres, ne frustra sis,
Quando tu me bene merentem tibi habes despicatui.
Nisi feres argentum, frustra me ductare non potes.
Aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui [1].

Una producam tres personas inter se simillimas, Fidicinam scilicet et Acropolistidem Epidici, et Acroteleutium Militis Gloriosi. Fidicina et Acropolistis mulierculæ impudentissimæ sunt, altera cachinnans quod senem Periphanem probe deluserit, altera sibi plaudens quod libertatem consequatur, et ad omnes partes agendas parata ut id finem bonam habeat.

Acroteleutium formam refert absolutissimam apud antiquos feminarum illarum tam multis artibus instructarum quas postea nobis obtulit Molerius, simulatas Occitanas videlicet, falso creditas Picardas, in scenam inductas ut stultum decipiant, et illiciant in fraudem. Bellula est, adolescentula, sicca, succida, quam lepidissima[2]. At res illi augenda est. Itaque in clientelam se tradidit Periplectomenis, senis istius suimet amantissimi. Callidissima est inter ceteras, et ægre fert quod commoneatur :

Meretricem commoneri
Quam sane magni referat, mihi clam est [3]!

Malitiam sibi gloriæ vertit. Mala est et fraudulenta ; malefaciendi cupidinem mulieribus insitam esse profitetur.

Si quid faciundum 'st mulieri male atque malitiose,
Ea sibi inmortalis memoria est meminisse et sempiterna ;
Sin bene quid aut fideliter faciundum 'st, eo deveniunt,
Obliviosæ extempulo uti fiant, meminisse nequeunt [4].

Lustrata prior series est meretricum a Plauto depictarum. Omnes malæ visæ sunt ; illis profecto convenit muliebris indolis definitio a Palæstrione in Milite data ; omnes inter se vita vel status ratione, aut ingenii varietate differunt, at una re sunt

[1] *Menæch.* IV, 3, 14. — Recipio cum Ritschelio *loculos* pro *oculos*. Quod rarissimum est, emendationem comprobat Weisius.
[2] *Mil. Gl.* III, 1, 190 et sqq. — [3] *Id.* III, 3. 8. — [4] *Id. id. id.* 14.

similes : seu pulchro, seu deformi vultu sint, seu juniores, seu seniores, animo et corde carent.

> Cor non potest, quod nulla habet[1],

Ait de illis aliquis. Adde hæc :

> .... Quid id? unde est tibi cordolium, commemora, obsecro?
> Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri[2].

Rem vero dignam ad quam attendamus! Quamvis plurimis ærumnis vexatæ, libertæ, concubinæ pactionibus adactæ, fere cunctæ suæ sortis potentes sunt; sunt sui juris. Propter industriam, propter ipsam affectuum bonorum absentiam, contra adversas res instructæ fuerunt, et eæ factæ quæ servitio se eximerent. Fortius earum conditionis, quæ ad animum spectat, miseria notari nequit, et illæ tres effigies trium generum præcipuorum non superatæ fuerunt, Cleæreta, Phronesium, Acroteleutium.

Quamvis autem multa isti generi mulierum exprobranda sint, non omnes ad eumdem improbitatis gradum perveniunt. Sunt quæ sensus humanos servent, non quod ideo omni crimine sint absolvendæ. Attamen apud eas, seu propter amicitiam, seu propter amorem, micat scintilla quædam ignis illius, quo cordi insito, differimus a belluis. Quam discrepantiam Plautus apprime deprehendit, et effinxit; neque ei satis fuit, si meretricem prædæ instantem carminibus redderet, eique infeste et pertinaciter incumbentem. Affectus alius modi nobis proposuit.

Prima apparet in Cistellaria Melænis. Ea est quam jure Gymnasii matri et turpi Cleæretæ opponamus. Non conditione sua Melænidis animus pietati occlusus est. Puella, quem ei sua socia dedit, ut ea uteretur ad peregrinum amatorem fallendum[3], utque postea, ætate ad senectutem provecta, ex ejus ignominia victum quæreret, lenam, licet corruptam, venustate, mansuetudine, et innocentia cepit :

[1] *Mil. Glor.* III, 1, 189. — [2] *Cistell.* I, 1, 67. — [3] *Id.* I, 2, 24.

> Nam mater mea, quia ego nolo me meretricem dicier [1],
> Obsecuta est, de ea re gessit morem morigeræ mihi, etc.

Illam sivit arbitratu suo vivere, et pudice educavit :

> Eaque educavit eam sibi pro filia,
> Bene ac pudice [2].

Quod ei Lena, Gymnasii mater, crimini vertit. Quid autem faceret! Pietas eam magis quam lucrum movet. Dictis enim Alcesimarchum insequitur, non tam quod opes ipsarum everterit, quam quod filiam ludificaverit. Omnia illi potiora sunt amissione puellæ quam amare didicit :

> ...... Perdam operam potius, quam carebo filia [3].

At si agetur de Silenii felicitate, illam ingratiis reddet, et se orbabit bono suo :

> Quamquam invita, te carebo, animum ego inducam tamen,
> Ut illud quod tuam in rem bene conducat, consulam [4].

Dissimilis est ergo Melænis Cleæretæ et aliis ejusdemmodi, nec illi ideo animus est fortis, et egregius ; labe sua maculata est, at habet quoque, quod laudes. Non omnis flamma apud eam exstincta est. Natura ei est humana, et potissimum muliebris, versatilis, cerea in vitium flecti, sed resurgens pietate, et affectibus dulcibus. Maxime mirum est non eam a poeta, tanquam heroice se gereret, productam esse, neque ut inauditam adhuc sententiam tueretur. Melænis secundarias partes agit, at ejus imago mirum in modum prominet. In ea Plautus se præbuit perspiciendi indoles hominum et effingendi peritissimum.

Haud procul a Melænide locum habent illæ meretrices, imprudenter pravæ, hoc si verbo uti licet, id est institutione puerili, genere vitæ, misera conditione corruptæ, sed quibus humanum aliquid adhuc superest.

Inducam primam omnium Gymnasium [5]. Ex maternis docu-

[1] *Cistell.* I, 1, 85. — [2] *Id.* I, 3, 24. — [3] *Id.* II, 1, 57. — [4] *Id.* III, 1, 3. — [5] *Id.*

mentis meretriciam procacitatem, impudentiam, amoris veri fastidium sumpsit :

Amat hæc mulier!
Perfidiosu'st amor.
Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium,
Unum amare, et cum eo ætatem exigere, quoi nubta est semel.
Verum enim meretrix fortunati est oppidi similluma.
Mihi istum hominem vellem dari:
Ut ego illum versarem [1]!

At propter duas res illam non omninocontemnemus. Ea materque ejus se invicem amant, adeo ut nolint sejungi, ne ut fruantur quidem occasione quam præbet error Lampadisci; deinde Silenium diligit amicitia sincera, quam jucundiorem etiam facit ingeniorum dissimilitudo. Sociæ pallore sollicitatur, ejus suspiriis, cultu ejus incompto. Luget, quum ejus ægritudinem audit :

...... Ut mihi excivisti lacrumas [2]!

Quas ob lacrimas merito eximitur numero meretricum istarum animo stercoreo de quibus supra locutus sum.

Philenium amorem concepit ingenuum, verum, et ita acrem, ut imperiosæ matri audeat resistere. Nacta est etiam affectuum dulcedinem eximiam, ut quid sentiat exprimat :

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oveis,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.
Sine me amare unum Argyrippum, animi causa, quem volo [3].

Et alias, quanto simul amandi ardore et dicendi quanta elegantia!

Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est.
Certe enim tu vita es
Mihi [4].

At illi deest illa dignitas inter amandum qua egregii animi discernuntur. Vide exempli causa tertiam actus secundi scenam.

[1] *Cistell.* I, 1, passim. Ex illis nonnulla Weisius lenæ tribuit, neque rationes dat amplas, cur ita vulgatam lectionem mutaverit. Circumspectiorem Naudeti contextum sum secutus.—[2] *Id. id. id.* 114.—[3] *Asin.* III, 1, 36.—[4] *Id.* III, 3, passim.

Cito recurrit ad suarum indolem, quæ patiatur patris et filii turpe contubernium; verbaque, quæ tum profert, vitii ignorantiam testantur, indicium imperfecti et abjecti magna ex parte ingenii. Quid vero? Meretrix est, amans, ideoque supra vulgus similium sui se tollens, at recidens mox ad earum opprobrium, ob leges quas accipit, aut quibus se subjici sinit (lege enim pactionem quam instruxit Diabolus), et ob sensuum humilitatem in omnibus rebus quæ non ad amorem pertinent.

Exceptis paucis rebus eamdem sententiam feres de Lemniselene, Phœnicio, Philocomasio. Hæc eum amat a quo militi subripitur:

> Conqueritur mecum mulier fortunas suas;
> Ait sese Athenas fugere cupere ex hac domu,
> Sese illum amare meum herum, Athenis qui fuit, etc. [1]

Verum amori impudentiam addit et fraudem. Quod Palæstrio ei suadet ut sit, ea est revera:

> Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,
> Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam, etc. [2]

Illud ipsa profitetur, jactatque artem suam sine verecundia:

> ...... Cedo vel decem, edocebo:
> Memini malas, ut sint malæ; mihi solæ e quo superfit [3].

Nos amore suo Lemniselene [4] moveret, nisi esset amica servi, et nisi particeps esset cavillationum quibus Dordalus sub fine fabulæ impetitur. Phœnicium [5] vix uno temporis puncto apparet;

[1] *Mil. Gl.* II, 1, 47. — [2] *Id.* II, 2, 33. Retinui lectionem codicum fere omnium, licet aliud proponat Ritschelius.

[3] *Id.* II, 4, 2. Substitui *decem edocebo* lectioni Naudeti *doctas docebo*, mss. codd. auctoritate fretus.

[4] *Persa.* Vid. Ritsch. proleg. ad Persam. Arbitratur nomen Lemniselenis ponendum esse.

[5] *Pseudolus.* Vide tamen quam facetam epistolam scribat, I, 1, 49. Cf. cum Alciphronis meretriciis epistolis. Ei quam nobis proposuit Plautus inest gratia amœna, nimii cultus haud expers, et præcipue voluptatum exquisita scientia, alumna Ballionis, quam summates viri delicias habent, dignissima.

ceterum hero immaniori servit, quam ut, quum cessat propter impuri Ballionis turgidas facetias coortus risus, non nascatur tantæ demissionis fastidium, et affectus vel amœnissimi non inde polluantur.

Meretrices, quas priore loco ex inventione Plautina descripsi, fere omnes liberæ sunt. Hæ contra fere omnes arctissimis vinculis impediuntur quominus amoribus indulgeant. Gymnasium et Philenium turpissimarum matrum imperiis parent. Lemniselene et Phœnicium lenonum maxime invisorum in potestate sunt; rapta est Philocomasium, forsan propter simulatam matris inscitiam. Quænam fuit mens poetæ? Utrum habuit in animo nobis ostendere illas omnes, et propter bonas animi dotes, non potuisse expedire se infelici sorte? An dicere voluit quantum, causa earum amoris, ipsius conditionis miseria vitietur. Plautus, ut qui morum sit studiosissimus, illa fortasse sibi proposuit. At certe talia legentis animo occurrunt, et propter ipsam imaginum et sermonis asperitatem, naturæ simillimam, judicium ejusmodi colligitur.

Eæ de quibus nunc locuturus sum, speciem longe ab aliis distantem præ se ferunt. Pasicompsa et Philematium dissimiles sunt non modo Phronesio, Bacchidibus, Acroteleutio ceterisque ejusdem generis, sed etiam Philenio, Philocomasio, Lemniselene et Phœnicio. Eorum status minus abjectus est, sermo et sensus altiores.

Famulabatur Pasicompsa in honesta domo. Perdidit eam usus ille quo servi fiebant dominis ludibria.

> Discubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
> Mulier, qua mulier alia nulla 'st pulchrior :
> Ea nocte mecum illa hospitis jussu fuit [1].

Intelligitur quomodo sibi Charini animum conciliaverit. Non ingeniosa est, ut pessimæ mulierculæ quas supra nominavi, aut quædam aliæ quas infra producam. Sed vere amat, pudice loquitur; omitto enim dicteria illa de feminis, quæ, pro insti-

[1] *Mercator*, prolog. 99.

tuto dramatici operis, Plautus per ejus os prompsit. Mihi videtur illa forsan, habita nostrorum antiquorumque morum discrepantiæ ratione, cum Agnete Molerii posse conferri. Se mirum in modum facilem, et ingenue nec injucunde superbam, ob disciplinam quam edocta est, præbet :

Facere certum 'st,
Pro copia et sapientia, quæ te velle arbitrabor.
Namque, edepol, quidem, mi senex, non didici bajulare.
Nec pecua ruri pascere, nec pueros nutricare.
De lanificio neminem metuo, una ætate quæ sit [1].

Vide ut respondeat ad ea quæ obscure, pro sene dissoluto, proponit Lysimachus:

Ovem tibi eccillam dabo, etc.
Eam si curabis, perbona 'st, tondetur nimium scite [2].

At Pasicompsa:

Honoris causa quidquid est, quod dabitur, gratum habebo.

Error ejus paulo infra confessioque amoris exemplo esse Molerio potuerunt:

Ecastor jam biennium est, quum mecum rem cœpit.
Nunc, quando amicum te scio esse illius, indicabo.
Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, et ille mecum,
Ego cum viro, et ille cum muliere : nisi cum illo, aut ille mecum
Neuter stupri causa caput limaret [3].

Alia est Philematium. Nemo infitiari potest quin placendi studiosa sit, et cultus elegantis cupida. Curiosa est sui vultus, suique habitus:

Contempla, amabo, mea Scapha, satin' hæc me vestis deceat;
Suo quique loco, viden', capillus satis compositu 'st commode [4].

[1] *Merc.* III, 1, 7, 9, 21.— [2] *Id. id. id.* 26, 27, *eccillam* pro *ancillam* recipio cum plurimis codicibus.— [3] *Id.* III, 1, 35, 37 et sqq. Quartum ex his delet Ritschelius Ambrosiano codice fretus, retineo cum plurimis mss.
[4] *Mostell.* I, 3, 10 et 97.

Ei arcula est ornamentis plena: cerussa, pigmento utitur, et, si quis illius armaria recludat, inveniat certe omnem illum mundum muliebrem quem ex ordine recenset in Epidico Periphanes :

> Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium,
> Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crotulam,
> Subparum, aut subnimium, ricam, basilicum, aut exoticum,
> Cumatile aut plumatile, cerinum aut melinum : gerræ maxumæ [1].

Quis vero non ei ignoscat? Id enim unum quærit ut a Philolachete ametur :

> Tibi me exorno ut placeam [2].

Grata est quod ab eo est libertate donata. Addam hoc, eum amat et vere amat. Sin aliter, qui resisteret perfidis adhortationibus Scaphæ. At illi uno verbo comprimit os :

> Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit :
> Nec recte si illi dixeris, jam, ecastor, vapulabis [3].

Quæ verba reperit, ut mutuum amorem Philolacheti testetur, simplicissima sunt; sed quid amplius desideres?

> Lubet et, edepol, mihi tecum, nam quod tibi lubet, idem mihi lubet,
> Mea voluptas.
> Certe ego, quod te amo, operam nusquam melius potui ponere [4].

Pasicompsa amica est ingenua, hæc amica elegantior. Deest utrique pudicitiæ venustas, et ideo forsan de decore aliquid tollitur. Quis vero contendere audeat non illis esse leporem nescio quem, dignitatem quamdam qua omnino secernuntur a mulieribus quæ nomen idem habent meretricum aut concubinarum, illarum etiam quæ proxime in hoc opusculo sequuntur.

Hæ nunc castæ mansere inter plurima vitæ pericula, Casina scilicet, Anterastilis, Adelphasium, Planesium, Ampelisca, Palæstra.

Casina, in ea fabula quæ propter eam titulum habet, ne unum

[1] *Epidic.* II, 2, 46. — [2] *Mostell.* I, 3, 135. — [3] *Id. id. id.*, 82. — [4] *Id.* I, 3, 138 et 145.

quidem verbum effatur, e quo indolem ejus conjiciamus. At sub fine comœdiæ, libera agnoscitur; magna industria educata est a Cleostrata, tanquam esset ejus filia, ut poeta ait. Itaque, addit ille, invenietur pudica, neque quidquam stupri faciet profecto in hac quidem comœdia[1]. Una ex iis personis est apud Latinos Comicos frequentissimis, quæ, licet in argumento præcipuæ sint, nunquam in scenam procedunt. At, quum eæ ita effictæ sunt, fere idem fit ac si apparerent. Bella et tenella est Casina, ait Plautus; pudice educata est. Conditio autem in qua versatur, cupidines senis adolescentisque et servorum simul, quibus petitur, insidiæ in quas vix non decidit, ratione quadam, ejus gradum imminuunt. Ideo, quanquam tandem ingenua habetur, eam inter meretrices collocavi.

Idem agetur de duabus Pœnuli sororibus, et eo certius, quod illæ in ipsa fabula sacrum faciunt, quo se meretrices profitentur. Non possum illas personas non mirari. Insolenter in eis commiscentur sensus qui originem decent quique ex institutione apud lenonem oriuntur. Primo aspectu hic poetam sibi discordare credas, ut ei sæpe exprobratum est. Equidem vero non tali opinioni assentior. Malo censere eam, quæ videtur, repugnantiam ex ipsis temporis vivendi conditionibus nasci. A nutrice, anu Giddeneme, educatæ, quæ cum eis plurimos habuit de pristina sorte sermones, mente percipientes in quam indigno statu versentur, rem tamen patienter ferunt, artemque non detrectant, per quam victum quærant, servitiumque lenonis cujus in mancipatu tum sunt effugiant.[2] At inveniendi sunt amatores divites et largi, a quibus libertate donentur, quarumque libertæ et sane concubinæ fiant, verum cum illo vivendi arbitrio, illo jure quod in id nomen cadit. Ejusmodi meretrices, quibus est simul conditionis præsentis conscientia, veteris memoria, cupido illius aliqua ratione rursus obtinendæ, postea evadent eæ quas Terentium producere juvat, Thaïdes scilicet, Bacchides, mulieres sapientes, benevolæ, quæque tantum distant ab istis belluis quas

[1] *Casin.* prol. 81. — [2] Vide quam superbæ sint, quamque gradus ordinis inter meretrices servandi studiosæ. *Pœnul.* I, 2, 53 et sqq.

jam apud Plautum lustravimus. At sæpe consilia honestissima in vanum recidunt. Nisi liberæ agnoscerentur Pœnulæ, quis affirmaret fortuna non eversum iri illarum propositum, nec venturum esse ferum aliquem amatorem, a quo et invitæ corrumperentur ? Paucissimæ ex isto ordine tali periculo obsistebant. Comico artificio quo sæpe usus est, Adelphasio Plautus opposuit Anterastilem. Hæc minus est prudens quam soror ; indolem leviorem præ se fert; properat ad Veneris ædem; ornatum simpliciorem esse queritur. Dum redit, nil crepat nisi festi venustatem, quamque pulchra ipsa visa fuerit. Profecto, nisi felici fortuna ambæ sorores servitio eriperentur, Anterastilem sublablentem videremus, ut primum esset a germana sejuncta.

Ab illis secerno tres mulieres lepidissimas, unam in Curculione personatam, alias in Rudente, Planesium, Ampeliscam et Palæstram.

Planesium adhuc casta mansit, licet amori totam se dederit. Ut ceteræ meretrices lenonum servæ, de quibus infra loquar, sub fine fabulæ, libera et nobili loco orta videbitur. Itaque speciem ejus arte molli et subtili poeta adumbravit:

> Tam a me pudica 'st, quam si soror mi sit; nisi
> Si est osculando quidpiam impudicior.
> At illa est pudica.
> Ut quæque illi obcasio 'st
> Subripere se ad me, ubi savium obpegit, fugit[1].

In illis ferme reperias celebratum Virgilii carmen:

> Et fugit ad salices, at se cupit ante videri.

Audi quem sermonem adolescentulæ poeta commodet:

> Anime mi, procul amantem te abesse haud consentaneum 'st[2].
> Tene me; amplectere me.
> Prohibet, nec prohibere quit,
> Nec prohibebit, nisi mors meum animum abs te abalienaverit[3].

Omitto elegantem scenam in qua fit agnitio, et Planesium nu-

[1] *Curcul.* I, 1, 51-60. — [2] *Id.* I, 3, 9. — [3] *Id.* I, 3, 16 et sqq.

bere Phædromo se velle declarat. At verbum est sine quo imperfecta persona est, scilicet quum pro eo cui serviit veniam poscit :

> Frater, obsecro te, noli hunc condemnatum perdere.
> Bene et pudice me domi habuit [1].

Difficile aliquid excogites suavius.

Puellæ Rudentis miseratione digniores efficiuntur ipsa calamitate e qua emergunt, et miro volumine rerum in quo versantur. Vix e naufragio recreatæ ab hero impetuntur; Dæmones eas prius exceptas benigne, propter uxoris suspiciones, hortatur ut domum suam relinquant. Tandem vidulum quo inclusa sunt crepundia quibus altera parentes agnoscere potest extrahitur e mari. Fit nota patri Palæstra, fabulaque ad finem sine usitatis fraudibus pervenit. Non spoliatur dolo, non leno deridetur. Jus habet contra se, et ipse licet invitus cedit. Puellarum mutuæ amicitiæ testimonio, luctusque speique et timoris affectibus, quibus hic et illic agitantur, earum partes refertæ sunt. Illa omnia exquisitissime aguntur et amœnissime. Cursim notabo verba Palæstræ, quum ad littus appulit, quumque repperit Ampeliscam, preces quas ad sacerdotem ut fugitivas accipiat fundit, querelas ejus quum a lenone ex ara evellitur. Nunc vero spectemus qui earum indoles a superioribus differat. Ampelisca, quæ certe humiliori loco et quasi ancilla est, non tamen Palæstram diligit, ut Anterastilis sororem, aut ancilla heram. Amica est, communitate servitii facta et ipso periculo arctius vincta. Palæstram videas exsultantem ejus conspectu :

> Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,
> Quando mihi te licet tangere : ut vix mihi
> Credo ego hoc, te tenere! obsecro, amplectere,
> Spes mea; ut me omnium jam laborum levas [2]!

Ampelisca partem habet in felici re, qua comes in pristinam conditionem restituitur :

> Sequere me Ampelisca. — Quum te Dii amant, voluptati 'st mihi [3]

[1] *Curcul.* V, 3, 18. — [2] *Rudens,* I, 4, 24. — [3] *Id.* IV, 4, 138.

Nihilominus non equidem censeo illas inter se fore æquo jure. Ampeliscæ oratio paulo humilior est ; ei aquæ hauriendæ fere servilis cura mandatur; jocis utitur in sermone cum Sceparnione, nec mirer , si postea , hoc in libertatem vindicato , matrimonio in Palæstræ clientelam Ampelisca veniat. Licet saltem rem talem ex poetæ verbis conjicere. Palæstra contra nunquam a gravitate miti , et a religione assidua discedit. Quam quum loquentem inducit , aut quum describit quo in statu versetur, Plautus affectus veros et ad movendum animum aptissimos excogitavit. Illam audi orantem , ut excipiatur :

Nunc tibi amplectimur genua , egenteis opum ,
Quæ in locis nesciis , nescia spe , sumus ,
Ut tuo recipias tecto , servesque nos ,
Miserarumque te ambarum ut misereat ,
Quibus nec locus ullus nec spes parata est ,
Neque hoc amplius , quam quod vides , nobis quidquam 'st [1].

Addam ejus querelas fanum relinquentis :

Sed nunc sese ferunt ut res fortunæque nostræ ,
Par est moriri ; neque est melius morte , in malis
Rebus , miseris [2].

Eadem in scena occurrit verbum miserabile, quodque poetæ intelligentiam acutissimam testatur. Mulier, licet fortis, sexus sui infirmitatem prodit :

Certum 'st moriri , quam hunc pati grassari lenonem in me :
Sed muliebri animo sum tamen ; miseræ ubi venit in mentem
Mihi , mortis metus membra obcupat , edepol [3].

Semper sibi constat. Eam verecundia decet; itaque non nimis aperte amorem erga Pleusidippum profitetur. Agnoscentis Trachalionem una vox est :

O salutis meæ spes [4] !

[1] *Rud.* I, 5, 16. — [2] *Id.* III, 3, 11. — [3] *Rud.* III, 3, 32. — [4] *Id.* III, 3, 17.

Silet, inter se jurgiantibus Gripo et Trachalione, quod veteribus indicium erat dignitatis et pudoris :

> Eo tacent, quia tacita bona 'st mulier semper quam loquens [1].

Fit agnitio sine illis motibus quos indecoros arbitrabantur antiqui. Personæ, et inter affectus vehementissimos sui sunt compotes, ut ingenuos homines esse par erat. Palæstra jamdudum parentes quærit, et in ea cogitatione tota est; una re mens ejus occupatur, cistella scilicet in qua crepundia sunt; id unum vero dicit:

> Salve, mi pater insperate [2].

Anterastile, Adelphasium, Ampelisca, parvulæ parentibus subreptæ, in domo lenonis omnes educatæ sunt, castæque manserunt et libertate dignæ. At nulla Palæstræ par est. Absolutissima est in tali genere, nec ultra mens Plauti se erexit. Haberi potest, ut quæ mitissima et venustissima sit, una ex amœnissimis imaginibus quas reddidit ars comica.

Quum vero tentaverim hic indoles per gradus disponere, a turpissimis profectus, ut ad optimas pervenirem, effictis ex Plauto corruptricibus lenis, meretrice impudente et procaci, muliere apud quam vitiis bona quædam intermiscentur, denique puella sorte istam in conditionem dejecta, et propter naturam egregiam animi, diis juvantibus, salva, servavi, ut eam juxta et forsan supra Palæstram collocarem, personam Silenii quæ est in Cistellaria.

In illa miranda fabula, quæ ceterum, ut Rudens, pendet ex inventione cistellæ qua crepundia inclusa sunt, muliebres personæ plures sunt quam viriles, et, quamvis nimis multa in ea vetustate abolita desiderentur, facile perspicias artem perfectissimam et ingeniorum notationem callidissimam. Sunt quædam indicia cur archetypum argumentum Menandro tribuatur; at constat nusquam alias certare venustius affectus. Prope lenas et Gymnasium decentior et elegantior eminet Silenium.

[1] *Rud.* IV, 4, 70. — [2] *Id.* IV, 4, 70.

Inter meretrices educata et a meretrice quidem aliis meliore, Melænide scilicet, nihil ex illarum sensibus sumpsit, licet sociarum amantissima manserit :

> Soror si mea esses
> Qui magis potueris mihi honorem ire habitum[1],

ait Silenium Gymnasio. Illius ingenui mores infamibus sodalibus reverentiam incussere, pro quo amicitiæ officium reddit :

> Merito
> Vostro amo vos, quia me colitis et magnifacitis[2].

Nihil simul vehementius est et suavius, nihil magis animum patientissimum testatur quam ejus amoris modus. Ægre fert quod promissis elusa fuerit :

> Excrucior, mea Gymnasium, male mihi est, male maceror.
> Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.
> Cordolium 'st[3].

Quid excogites miserabilius ? Nonne vero his tabella perficitur :

> Neque, munda adæque es, ut soles. Hoc, sis, vide ut petivit
> Suspirium alte ! et pallida es.
> Siccine immunda obsecro
> Ibis ? — Immundas fortunas æquom 'st squalorem sequi.
> — Amiculum hoc sustolle saltem. — Sine trahi, quom egomet trahor[4].

Movemur penitus, audientes qui natus sit ille amor :

> Per Dionysia
> Mater pompam me spectatum duxit : dum redeo domum,
> Conspicillo consecutu 'st clanculum me usque ad foreis.
> Inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul,
> Blanditiis, muneribus, donis[5].

[1] *Cistell.* I, 1, 3. — [2] *Id. id.* 1, 22. — [3] *Id. id. id.* 61 et 67.

[4] *Id. id.* Cf. apud Racinium : Laissez-moi relever ces voiles détachés, Et ces cheveux épars dont vos yeux sont cachés. Souffrez que de vos pleurs je répare l'outrage. — Laisse, laisse, Phénice. *Bérén.* IV, 2.

[5] *Cistell.* I, 1, 91 et sqq. Illa ad verbum translata sunt e Menandro : Πομπὴ γὰρ ἦν Διονυσίων· Ὁ δὲ μ' ἠκολούθησε μέχρι τοῦ πρὸς τὴν θύραν, Ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων μητέρα Ἔγνω με. Fragm. incert. citat. ab Hermogene, *De Invent.* IV, p. 74.

Addendum Silenium cetera castam esse :

> Quia ego illum unum mihi exoptavi quicum ætatem degerem,
> Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam imminuit[1].

Quum vero datam fidem fefellit Alcesimarchus, unum timet, ne acrioribus objurgationibus impetatur ; nihil Silenii terrori par est illum ferrum intentantem aspicientis :

> Mater mea,
> Periimus miseræ.
> Alcesimarchum non vides ferrum tenentem.
> Amabo, accurrite,
> Ne se interimat[2].

Temperata est ejus indoles mirum in modum honestate, candore, inscitia rerum humanarum flagitiorumque usitatorum. Nonne ignorat quid sit amor, quanquam experta :

> Eho! an amare obcipere amarum'st, obsecro?

Nonne suadet lenæ ut Gymnasium collocet in matrimonium :

> At satius fuerat eam viro dare nubtam potius[3].

Virgineam animi integritatem amisit, quam servavit Palæstra aut Planesium ; non ei mansit pudicitia quæ neque Adelphasio, neque Anterastili imminuta est. Est autem ejus in mente dignitas, in animo mollitia, quæ illis ut Pasicompsæ et Philematio deest. Nihil venustatem illius oris, cui nihil par est in antiquæ comœdiæ reliquiis, adulterat, et sine controversia illam dixeris inter Plautinas amatrices exquisitissimam.

IV. — DE ANCILLIS.

Illum titulum ex industria usurpavi, neque scripsi de feminis servientibus. Multæ enim e meretricibus de quibus supra

[1] *Cistell.* I, 1. — [2] *Id.* III, 1. — [3] *Id.* I, 1. Nescit etiam legem, de qua vide T. L. XXXIX, 19.

verba feci servæ lenonis erant. Sed earum status aliquid peculiaris habet, et depingere volo servas usui domestico addictas. Notabo quibus lineis illarum effigies duxerit Plautus. Quæ certe variæ sunt. Servitute, prout herus imperium exercebat, pro ipsa heri indole cui parebat, servi mores aliter inflectebantur. Quod verius etiam de feminis dicas quam de viris. Hi enim liberiore vivendi genere fruebantur; plura eis incidebant tempora quibus alieni moris impetu traherentur. Mulieres contra fere semper cum domina cui parebant conclusæ, si honestioris conditionis esset, ab ea sumebant exempla; si autem esset ordinis meretricii, sequebantur illam per varios casus[1] et ejus, tanquam speculo, morum imaginem referebant; dominarum artes exercebant tum bonas, tum malas, aut saltem vitia ab ipsarum ingeniis haud multum discrepantia.

Discrimen igitur habendum est de iis quæ apud meretrices et de iis quæ apud matronas serviunt,

Meretricia vitia apud illas reperiemus et sæpissime aucta illiberali et ineleganti ingenio, nulli bonæ rei vel egregiæ assueto. Vidimus quam malæ sint meretrices. Earum pravitatem plerumque amplificant ancillæ.

Astaphium dixerim ipsam malitiam pravitatemque muliebrem et meretriciam personatam in scena, et ad suos fines prodeuntem. Ut placendi studium[2], ita ceteros sensus obtinet heræ suæ, Phronesii, neque inde manifestam utilitatem sibi percipit. Non videtur deridendi alius suique oblectandi occasionem quæritare. Non ludit, non faceta est. Ipsa dicet, cur tam detestanda sit: « Mala femina es, ait Dinarchus. — Solens sum, ea recipit; ea' st disciplina.[3] » Flagitium quasi temperies est, qua ei, ut vivat, opus est. Neque his artibus, ut domina, ditescit; verum quadam nequitiæ communitate, longaque consuetudine inter se istæ, velut ineluctabili nodo, conjunctæ sunt; sine altera neu-

[1] Tit. Liv. XXXIX, 10. « ancillam se, ait, dominæ comitem id sacrarium intrasse » et supra, 9o capite, « quæstu cui ancillula assueverat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur. »

[2] *Trucul.* III. 2. 32 et sqq. — [3] *Id.* I, 2, 29.

tra absoluta est. Astaphium, etsi non inde quæstum sibi faciat, delectatur Phronesii malefactis; pro suis illius victorias habet. Itaque palam profitetur præcepta quibus altera se regit:

...... Amator simili' est oppidi hostilis [1].
Piaculum 'st, misereri nos hominum rei male gerentum.
Bonis esse oportet dentibus lenam probam; adridere,
Quisquis veniat, blandeque alloqui; male corde consultare,
Bene loqui lingua. Meretricem esse similem sentis condecet, etc. [2]

Astaphio justa comes Phronesium occurrit. Si res ei fuisset cum ingenio minus perverso, forsan, ut quæ nocendi ardore flagraret, facta esset Scapha. Quæ archetypum est corruptricis toties poetis informatæ. Syra, in Hecyra Terentii, longe est a tanta perfidia. Malesuada vitilena, perdocte cuncta calleus, docta præ omnibus doctis, postquam pessima consilia proposuit, postquam, quod est ad persuadendum accommodatissimum, exemplum suimet fecit, mutatur, ut Philematii constantiam nullo modo labantem intelligit [3]. Magis quam quæ maxime, novit, quæ sit decentissima venustas, quid amantes alliciat, quumque Philematium Philolachetem fallere nolit, eam probe adjuvabit, ut eum detineat. Forsan ita se morigeram præbet, quo meliore loco et tempore puellam lenoniis aggrediatur verbis; id illam decet; summum nefas attigit.

Milphidippa apud callidam Acroteleutium in famulatu est, ejus digna pedisequa. « Ecqua ancilla est illi? » rogat de Acroteleutio Palæstrio. «Est prime cata,» respondet Periplectomenes[4], Milphidippæ morum indicium faciens. Scit extemplo quid agendum sit. Omnem fallaciarum fabricam excutit:

Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum jam demonstravi [5].

Ut ludificatur miserum Pyrgopolinicem! ut illum vernilibus blanditiis conficit! « Polcher, salve! » Certe iste hominum est stultissimus; sed qua ratione resistat tali laudum flumini?

[1] *Trucul.* I, 2, 68. — [2] *Id.* II, 1, 13. — [3] *Mostell.* I, 3. — [4] *Mil Glor.* 1, 197. — [5] *Id.* IV, 2, 37. Interpono *jam* cum fere omnibus libris, omittente Naudeto.

Et qui esset cerebri felicissimus, ipse, quid faceret, hæreret. Gloriæ illa particula quæ omni humanæ menti inest lancem deprimit :

> Age, mi Achilles, fiat quod te oro : serva illam pulchram pulchre ;
> Expromc benignum ex te ingenium, urbicape, obcisor regum [1].

Itaque ipse Palæstrio illam excellentiam ingenii fatetur ; quumque architectus vocatur :

> ...... Non sum dignus præ te, ut figam palum in parietem [2],

inquit. Non autem Milphidippa tantum, Pardaliscæ instar, quam infra videbimus, ut jure ulciscentem adjuvet, dolos tractat, nec astutia tantum, at quoque fallendi, et male faciendi studio, cui indulget, quodque expletum præcipua est maleficii merces. Ut hera, adolescentula est. Verum si ætate processerit, non miratus ero quod Astaphio aut Scaphæ simillima evadat.

Quædam imagines leviori linea productæ sunt a poeta, cui non otium est in minoribus personis diutius commorandi. Ejusmodi est ancilla, placendi cupida, quæ in Pœnulo heræ suæ munditiam tentat æquiparare, quæque adeo comicum in modum significat, quam ægre ferat infelicem exitum certaminis.

> Tum, pol, ego et oleum et impensam perdidi [3].

Ejusmodi ancilla est Erotii, quæ in Menæchmis, elegantem heræ avaritiam imitata, Menæchmum Sosiclem donum jampridem promissum tam lepide rogat [4].

Non tamen apud omnes astuta natura plurimum valet. Quædam in torporem inertiamque recidunt, quibus nihil inter hominem animalque interest, omnisque cœlestis flammæ vis exstinguitur. Specta duas ancillas cruciatibus affectas in Truculento, duas illas perversas, colubrino ingenio[5], quarum vero pravitas, ut ita dicam, non movetur sponte sua. Parent enim ; matris Phronesii jussu quoquoversus concursant :

[1] *Mil. Glor.* IV, 2, 64. Cum libris scribo *pulchre* et *te*.— [2] *Id. id.* IV, 4, 4.
[3] *Pœnul.* I, 2, 119. — [4] *Menæchm.* III, 3, 17-23. — [5] *Trucul.* IV, 3, 6.

...... Mater ancillas jubet
Aliam aliorsum ire, præmandare et quærere
Puerum aut puellam, qui subponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Gnovisti nostram, quæ modo erga ædeis habet.
...... Hæc una opera circumit per familias,
Puerum vestigat clanculum, ad me detulit.
Datum esse sibi dixit [1].

Quid respondent quum eas Callicles interrogat ? Ne conantur quidem se facto purgare. Unam rem præ se ferunt :

...... Qui dare te huic puerum jussit? — Hera major mea. —
Quid tu? cur eum adcepisti? — Hera mea rogavit me minor, etc [2].

Et altera addit, quum ei herus exprobrat, quod mala custos fuerit :

Plus potest, qui plus valet [3].

Corporis cruciatum unum metuit. Ultimum verbum profatur, querendi causa de vinculis quibus impeditur : *testeis vinctos adtines* [4].

Exemplum aliud afferam istiusmodi stoliditatis et omnis sensus hebetationis. Incuriosa Halisca in Cistellaria, cujus lamenta scenam unam totam complent [5], quæque tantum suis scapulis timet, postquam inter loquaciores querelas sensim fere omnem heræ suæ historiam palam fecit, ubi necesse est res amplius et absolutius explicet, hæret, trepidat, veretur ne male loquendo malum semper impendens capiti suo attrahat, adjicitque verbum hoc, quo omnia transigit, fateturque suum stuporem : *serva sum* [6].

Ut vidimus meretrices in vinolentiam delabi, quum sunt effetæ libidine, deformatissimæ, pannis squalidis obsitæ, expertes alius voluptatis, ita erit de illarum servabus, pejori etiam vivendi conditione efferatis [7].

[1] *Trucul.* II, 4, 47, 49, sqq. — [2] *Id.* IV, 3, 22. — [3] *Id. id. id.* 38
[4] *Id. id. id.* 63. — [5] Cf. illum locum, *Cistell.* IV, 1, cum hoc fragmento Turpilii, 196 (*Fragm. Comic. Latin.* Otto Ribbeck) : Me miseram ! quid agam ? inter vias epistula excidit mihi; Infelix inter tuniculam ac strofium conlocaveram. — [6] *Cistell.* IV, 2, 99. — [7] Cf. Horat. I, *Epist.* XIII, 14. Ut vinosa glomus furtivæ Pyrrhia lanæ.

Lena, ancilla Cappadocis, quæ partes agit in Curculione, uno vini desiderio tenetur; vinum unum appetit, sed indomito impulsu, ob quem omnia pericula negligit. Invenit in crapula oblivionem sortis suæ. Sunt iidem omni tempore servitii fructus, et illa vetula, cui vinum factum est quasi deus unus, spes una, nonne revocat in mentem miseram aniculam recentius in ficta de servis narratione [1] depictam, quæ semper ebria, licet semper vapulet, ipsa suam peccandi pervicaciam profitetur, quæque bibacula est vitæ periculo.

Ex turpi pravoque servitio oritur præcipue istiusmodi sensuum corruptio. Verumtamen servitium ipsum, propter eas, quas adducit secum, ærumnas, abjectionem, depressionem animi, quicumque sit herus, vinolentiam parit. Quum Stalino Pardaliscam, simulate motam, accurrentem ad se prospicit, primum suspicatur eam ebriam esse :

> Timeo id negotium, quid est, nisi hæc meraclo
> Se uspiam percussit flore Libyco [2].

Optimis etiam ancillis nomina sunt infausta, quæ spectant ad id quod vinosæ sunt. Non Bacchi munera certe odio sunt Staphylæ, translatorumque verborum, quæ usurpat, delectu mores suos declarat. Bibacis mulieris in animum venit, *malum mœrorem mistum bibere* [3] Quin queritur infra *temeti nihil adlatum esse* [4]. Sophoclidisca palam facit quam sit ad potandum prona:

> ...... Quanquam ego vinum bibo, at mandata non consuevi simul bibere
> Una [5].

Quemadmodum et servientes honestioribus feminis quædam vitia tangunt nec tantum vini cupido (videas enim Stephanii bacchationem) [6], ita nonnullis ex meretriciis ancillis supersunt probandi sensus.

Sophoclidiscæ, quæ est in Persa, licet turpissimi lenonis in domo famuletur, animus benevolentiam adhuc capit. Diligit heram cui sors eam jam quintum annum addixit :

[1] *La Case de l'oncle Tom*. — [2] *Casin*. III, 5 16. — [3] *Aulul*. II, 3, 12.
[4] *Id*. II, 5 6. — [5] *Persa*, II, 1, 3. — [6] *Stichus*, V, sc. 3 et sqq.

Nam equidem te jam sequor quintum hunc annum [1].

Quid sentiat, novit:

Amas, pol, misera : id tuos scatet animus [2].

Ideoque ei conciliata est:

Certo is quidem nihili est, qui nihil amat; quid ei homini opus vita'st [3]?

Humanam sententiam, quantum potest esse, imo muliebrem dixerim.

Movet quoque animum pietas erga adolescentulas habita ab anu Giddeneme cum illis olim in servitium abducta. Notanda sunt quæ prima verba expromit, hero conspecto:

Tua pietas nobis plane auxilio fuit,
Quom huc advenisti hodie in ipso tempore.
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæstum corpore [4].

At ceteris multo præstant quæ in honesta familia locum habent. Quotcumque mala in domos per lasciviam maritorum, luxum et suspiciones uxorum irruerint, quædam veterum mansit imago et forma morum. Ancillæ illæ plurimæ, textrices scilicet et sarcinatrices, balneariæ et cinerariæ et vestispicæ, aliæque artes, quæ ad mundum muliebrem pertinent, factitantes tantum apud factiosas et dapsiles feminas inveniuntur. Plurimæ paucioribus ancillis utuntur, et cavent ne habitu vestituque pedisequarum famam sibi minuant. Audi potius in Mercatore Demiphonem cum filio colloquentem et de forma ancillæ, quam convenit habere disserentem:

Neque illa matrem satis honesta tuam sequi poterit comes,
Neque sinam. — Qui vero? — Quia illa forma matremfamilias
Flagitium sit, si sequatur, quando incedat per vias [5].

Licet nonnunquam male habitæ et flagellis sectæ, ut miseræ

[1] *Persa* II, 1, 5. — [2] *Id. id. id.* 9. — [3] *Id. id. id.* 11. — [4] *Pœnul.* V, 3, 18.
[5] *Mercat.* II, 3, 69.

quæ Artemonæ in Asinaria famulantur, exemplum habent ancillæ ante oculos domesticarum virtutum. Ad focum, coram oculis heræ, educatæ, easdem artes atque illa edoctæ, lanificio, et aliis curis ejusdemmodi transigunt tempus[1]; et si heræ vitiorum partem capiant, nihilominus religio est laris familiaris, consuetudo bonarum rerum, propter quas necessitudine quadam devinciuntur. Amorem in eam domum, ubi filium aut filiam aluerunt, transferunt. Earum vitia plerumque non procacitatis haud illepidæ et astutiæ elegantis fines transgrediuntur.

Exempli causa, Pardalisca duæque ancillæ, quæ loquentes inducuntur in Casina, nasutæ sunt et dicaculæ. Illa, dum ultioni quam exercet hera in Stalinonem et villicum Olympionem dat operam, calliditatem et solertiam felinam ostendit, in qua certe scriptor curam maximam et studium summum posuit, quamque indito illi nomine prænuntiat. Quam lepida est illa scena, in qua delirare et furere Casinam falso declarat, seque animo linqui fingit! Quantam sollicitudinem injicit misero Stalinoni, non immani viro, licet scortari cupiat :

> Contine pectus, face ventulum, amabo,
> Pallio......
> ...... Obtine aureis, amabo[2].

Quam improba lætitia, postquam ei dixit Casinam occidere velle eum qui hac nocte secum cubuerit, exclamante Stalinone.

> Me occidet!

excipit :

> An quidpiam ad te adtinet?...... Quid cum ea negoti
> Tibi 'st[3]?

At Pardalisca procacior est quam pejor. Servit in honesta domo. Stalinonis lascivia videri potest ille ad juvenilia reditus, qui sæpius in quietos et placidos homines cadit. Certe in Cleostrata, a qua

[1] *Casina*, prolog. 45; *Mercator*, II 3, 78. Cf. T. L. I, 57.
[2] *Id.* III, 5, 14 et sqq. — [3] *Id. id.*

dolus omnis præparatur, quædam reprehendi possunt, non autem sunt vitia pessima; maritum ulciscitur, et id quidem libenter; ipsa non altissimi animi est. At si rem penitus inspexeris, non tibi prava neque corrupta esse videbitur. Ei gratiosissima inter ancillas Pardalisca est; ejus spei consiliorumque particeps est, at nihil omnino turpe ac damnandum agit.[1]

Eodem modo Crocotium in Sticho [2] ad id tantum apparet, ut Gelasimum parasitum derideat. Nullius rei infamis aut turpis est conscia.

Staphylam, inter proprias ærumnas, semper angunt calamitas Phædræ, necessitasque miseri illius casus dissimulandi. Ea est inter gravissimas aniculæ curas. Ipsi malum impendet; illa re autem acerbissime pungitur, nec dubitat, quo tardius omnia fiant palam, immanis avari iræ se opponere [3].

Syra et Bromia herarum suarum utilitati consulunt. Bromiæ minime in dubio est Alcumenæ castitas. Audivit, fateor, verba a Jove de cœlo missa; sed antea nulla suspicio debuit ejus animum invadere. Innocentiam uxoris coram Amphitruone asserit ea fide, quæ responsionem non patiatur, quaque sibi rem indubitatam videri denuntiet.

> At ego faciam, tu idem ut aliter prædices,
> Amphitruo, piam et pudicam esse tuam uxorem ut scias[4].

Syræ indoles copiosius est definita. Misella paulo asperius a domina habetur.

> ......Quin is ocius?
> — Nequeo, mecastor, tantum hoc oneri 'st quod fero.
> — Quid oneris? — Annos octoginta et quatuor;
> Et eodem adcedit servitus, sudor, sitis[5].

Illius tamen fortunam, quum eam insidiose tractari videt, amplectitur, nec astutia ancillari, ut facit Pardalisca, sed insita probitate et quadam communitate muliebri. Quam ironia plenum

[1] Pardalisca conferenda est cum Lisetta in *Amatoriis Insaniis* nostratis poetæ. Cf. notam edit. Naud. Vol. I, p. 623, Biblioth. Lemaire.—[2] *Stich.* I, 3.
[3] *Aulul.* II, 3, 5. — [4] *Amphit.* V, 1, 33. — [5] *Mercat.* IV, 1, 5.

est illud *bellissumi* [1] cognomen doloso marito inditum! Alludit mirum in modum ad Junonis et Alcumenæ fabulam his versibus:

...... I hac mecum ut videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Juno mea [2].

Amare queritur de conditionis virilis muliebrisque iniquitate:

Ecastor, lege dura vivont mulieres,
Multoque iniquiore miseræ quam viri [3].

Quum vero rursum venit in præsentiam adolescentis heri quem aluit, domus cura præcipue tenetur: *Tua mater rure rediit,* inquit, *sua quidem salute et familiæ maxime.*

Jamdudum in herorum domo versatæ, quanquam infima conditione, Staphyla Syraque ejus quodam modo pars factæ sunt, neque id eas fugit. Durius appellantur, cum illis asperius agitur. Non autem metuunt ne supplicio afficiantur, aut venumdentur foras. Itaque earum sensus non equidem elati sunt, at formam peculiarem induunt. Abavæ sunt illarum ancillarum, quibus apud Molerium sæpissime impinguntur colaphi, quibusque intentantur minæ, quarum vero sermones ferunt patresfamilias, quæ fere semper domesticis in rebus jus habent suffragii, quarumque sententia nonnunquam pollet plurimum.

V. — QUID DE MULIERIBUS ÆTATIS SUÆ NOS DOCEAT PLAUTUS.

Illæ sunt mulierum omnis generis personæ quas complectuntur Plauti fabulæ. Jam sæpius eas Romanarum ad imaginem esse compositas subjeci. Sed cavendum est ne obstet exceptio, et ne quis omnino neget quidquam in illis esse Plauto peculiare. Constat enim eum, ceterorum Latinorum Comicorum more, fabulas e Græca lingua vertisse, aut saltem de proximo imitatum

[1] *Mercat.* IV, 1, 22, et IV, 5, 10. — [2] *Id. id. id.* 23. — [3] *Id. id.* 6, 1.

esse poetas Novæ comœdiæ. Nec desunt indicia : Plautus enim ipse in Prologis id fatetur factum esse. Porro, qui contulerunt cum ejus fabulis fragmenta Veterum Comicorum censuerunt posse illis tribui archetypum consilium nonnullarum ex illis, quarum exemplar poeta noster non declarat quod sit. Sic igitur multi in eo consentiunt, ut credant Amphitruone referri formam Epicharmi fabulæ cujusdam, et ad id alludere notum Horatii carmen :

> Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi [1].

Fuere alioquin plurimæ de tali re comœdiæ, inter quas satis erit, si indicavero opus Platonis Comici, cui titulus inscriptus erat Νὺξ μακρά, et τὸν Ἀμφιτρύωνα Archippi. Ait Plautus ipse Asinariæ nomen esse Græce Onagon, Demophilum scripsisse, Marcum, id est, se vortisse barbare[2]. Sunt Græcæ plurimæ fabulæ de Avaro, de Thesauris defossis, ut Θησαυρός et Φιλάργυρος Dioxippi, Φιλάργυρος Diphili et Theogneti, Ὑδρία Menandri. Capteivi nescio an sint ex Αἰχμαλώτῳ Alexidis descripti ? Quidquid id est, Casina versa est e Κληρουμένοις Diphili; vocatur quoque latine Sortienteis.[3] Verisimile est Cistellariam Menandro deberi[4]. Mercator est Ἔμπορος Philemonis; Plautus id ipse profitetur[5]. Sunt quoque Bacchides Δὶς ἐξαπατῶν Menandri[6]; Mostellaria, Φάσμα Theogneti[7]. Pœnulus græce vocatur Carchedonios; cujus vero sit, non addit Plautus[8]. At exstat titulus ejusmodi inter Menandri fabulas. Forsan Pseudolus acceptus est ab Axionicho : nomen enim famosi Ballionis in uno ejus fragmento memoratur[9]. Rudens, ut opinor, Diphili Σχεδία est[10]. Trinummus con-

[1] *Epist.* II, 1, v. 58. Vide Boissier, *Quomodo Græcos transtulerit Plautus*, p. 9 et sqq. — [2] *Asin.* prolog., 10. Diphilum pro Demophilo scribendum esse docti censuerunt. — [3] *Casin.* prolog. 32. — [4] Vide supra. Ceterum Menandro apprime conveniunt illius sensus et mores.

[5] *Mercat.* I, 1, 19. — [6] *Fragmenta poet. comic. græc.* ed. Didot, p. 765, col. 2. Ritschelius, *Parerg. Plautin.* I, p. 405, sqq. — [7] *Fragm. poet. comic. græc.* ed. Didot, p. 704, col. 2. — [8] *Pœnul.* prol., 53. — [9] *Fragm. poet. comic. græc.* p. 586, col. 1.

[10] Hanc opinionem, etsi nondum usquam viderim, in animo est nonnullis argumentis sustentare. Vir quidem doctissimus, fere homonymus, cujus præle-

versus est e Θησαυρῷ Philemonis[1]. Miles Gloriosus est Ἀλαζών[2]; hic autem, ut in Pœnulo, nihil, nisi titulus, denuntiatum est. Certe, plures etiam apparerent fabulæ, unde argumenta desumpta sunt a Plauto, si totum Græcorum theatrum exstaret adhuc.

Num vero Plautus nihil fuit nisi Græcorum interpres ad verbum? Ait Odofridus Müller[3], etsi cibum Atticum Romanis palatis aptavisset, et sapore quodam acriori imbuisset, eum cibum Atticum tamen fuisse. Censeo severiorem erga Plautum ostendere se criticum illustrissimum. Jam mihi videtur illâ ipsâ conversione operi Plautino proprium quiddam esse inditum. Quod e græcis comicis excerpsit, non Terentiano scribendi generi simile est. Si et ceteri comici latini superessent, sane causa

tiones olim audivi, Car. Benoit, in libro *de Comœdia græca*, propter quem præmium ab Instituto accepit, excogitavit titulum hunc : Σχοίνια, tanquam ea esset fabula Diphili, a quo Plautus Rudentis materiam est mutuatus. Est enim in Prologo, 32, carmen hoc : *Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus Cyrenas voluit.* At inter titulos Diphili comœdiarum nulla exstant Σχοίνια. Exstat contra Σχεδία, cujus unus versus ad nos traditus est : Θᾶττον πλέκειν κέλευε πόρκων πυκνοτέρους, *Fragm. poet. comic. græc.* ed. Didot, p. 644, col. 1. Ita convertit Bothius: *Ocius densiora retia plecti jube.* Quid vero? maxima est similitudo cum illo *Rudentis* versu, act. IV, sc. 3, v. 1 : *Heus! mane! — Quid maneam? — Dum hanc tibi, quam trahis, Rudentem conplico.* Hic rudens nauticus funis esse debet qua retinebatur rete, dum raderetur imum mare. Forsan post πυκνοτέρους erat in altero versu, qui desideratur, κάλως, et ita sensus plenus esset. Nemo infitiabitur quin simili de re agatur. Si quis objiciet tertiam personam in græco exemplari adesse, eam quæ fatur κέλευε, quid in eo mirum? Sæpe formam scenæ mutaverunt, dum opera verterent e græcis latini comici, et accidisse potest, ut, exempli causa, herus Trachalionis adesset in comœdia Diphili, quam rem Plautus immutavit, quo lepidior esset utriusque servi disputatio. Nunc vero quid est Σχεδία? Nam quid aliud, quam scapha, de qua tam multa mentio est in Prologo, et in actus Imi scen. 2da : *De navi timidæ desiluere in scapham* (Prol. 75). Diphilus titulum indidit fabulæ e scapha vel σχεδίᾳ, qua mulieres utuntur ad enatandum, Plautus e rudente, quem animadvertit Trachalio, ita ut vidulum a piscatore receptum videat. Non desunt exempla, quibus sim fretus. Casina, ut vidimus, vocatur Κληρούμενοι in exemplari; ὁ Δὶς ἐξαπατῶν Bacchidibus mutatur. Licet certe mihi, quam proposui, conjecturam ducere eodem jure quo tot alii qui de titulo hujusce comœdiæ disputarunt, teste Ritschelio (*Parerg. Plautin.* I, 166 et 167). Ceterum nonnisi pro conjectura eam valere cupio.

[1] *Trinumm.* Prolog. 18, 19. — [2] *Mil. Glor.* II, 1, 8. — [3] *Hist. Litterat. græc.* cap. XXIX, in versione italica professoris Ferrai Senensis, T. II, p. 256.

nobis esset cur alias dissimilitudines notaremus; cuique proprium esset aliquid. Imitatur Plautus Græcos, ut illo tempore mos erat imitandi. Fabulæ Græcæ, quorum exemplaria habebat in manibus, quas etiam actas videre potuit in urbibus ejus Italiæ regionis, quæ Magna Græcia vocabatur, ei sui operis fundamentum, argumentum, subtemen, ut ita dicam, sufficiebánt. Ex eis nodum, casuum varietatem, appendiculas rei præcipuæ, primam adumbrationem fabulæ, mores etiam excerpebat [1]. Quæ omnia latino sermone, pro ingenio, pro spectatorum, quorum plausus optabat, studio, vestiebat. Nonne hinc aliquid proprium oritur? Et apud nos est exemplum notabile hujusce imitandi rationis. Molerius, qui suum jus [2], ubicumque reperiret, repetebat, quam multa debet Græcis, Latinis, Italicis, veteribus apud Gallos jocorum actoribus! Si quem juvabit scire quo modo Latini Comici e Græco in patrium sermonem furta sua, quum fragmentum etiam totum transferretur, converterent, licebit id discere evolventi Aulum Gellium Menandri Cæciliique eadem de re genus dicendi comparantem [3]. Omisso judicio, quod habet de utroque poeta, nec notata infirmitate, qua convincit Latinum, id tamen superest nobis animadvertendum, argumentum scilicet fabulæ nihil aliud esse nisi materiam, quam variarent imitatores, ut circa idem canticum multimodis flexionibus et modulationibus utuntur musici. Quod ad Plautum ipsum attinet, non ex iis scriptoribus quos imitatus est, tam longa fragmenta relicta sunt, ut ejusdemmodi collatio haberi possit. Sunt vero testimonia non dubia expeditæ facilitatis quam adhibuit in imitando Terentius enim, in Adelphorum prologo [4], ait ab eo, quum verteret e Diphili Συναποθνήσκοντι Commorienteis, tres personas

[1] Ostendit eruditissimo commentario hujus facultatis professor amplissimus Patin hac ipsa morum alienorum expositione delectari plebem Romanam. At nihil inde nimium inferendum est, ita ut credamus mores Plautini theatri omnino græcos esse. Speciem græcorum morum, potius quam græcos mores ille effinxit.

[2] Nonne Molerii verbum his Afranii verbis explanatum videtur: ..... Fateor, sumpsi non ab illo modo, Sed ut quisque habuit, conveniret quod mihi, Quod me non posse melius facere credidi Etiam a Latino. Afran. 25 et sqq. Otto Ribbeck. *Fragm. Comic. latin.* — [3] *Noct. attic.* II, 23. — [4] V. 6 et sqq.

omissas esse, quæ tamen in dramatis contextu plurimum valere videantur. Scio equidem illam fabulam Plauto ademptam fuisse, ut Aquillio tribueretur[1]; cur vero censeremus Plautum non idem, quum se offerret occasio, fecisse, neque usum esse eadem libertate qua Aquillius usus est, qua Terentius, qui ex duobus fabulis, Andria et Perinthia, unam composuit[2]. Fabulas commiscere plurimas, aut in frusta concidere solitus est. At quæ immisit in tantam conturbationem rerum, doctæ sententiæ videlicet, imagines vivide expressæ, affectus callide notati, etsi decerpserit a Græcis, nonne illa omnia ei gloriæ vertenda sunt[3]? Nisi illorum vim ac sensum intellexisset, effeta et inanimata apud illum viderentur. Unde gratiam petierunt, nisi ab ingenio poetæ, a quo nobis tradita sunt? Imitatione mirabili illa sui juris fecit, et si quis instabit acrius, quod delectum tantum Plautus rerum quas in lucem edidit habuerit, certe respondendum erit, usurpato Gallici scriptoris verbo, delectum quoddam genus inventionis esse, et eamdem veniam nostro quam cuilibet alii dandam esse, si, quæ imitatus est, suā ipsius dicendi et scribendi facultate commendaverit. Romanam indolem alioquin ejus fabulæ sapiunt. Memorantur perpetuo mores, leges, usus Romanorum[4]. Ne finibus materiæ, quam mihi principio proposui, egrediar, licet nominibus græcis mulieres ab eo personatæ vocentur, semper jus romanum crepant. Audi Alcumenam de profectione sua loquentem. Verba sunt ipsius divortii formulæ:

Valeas; tibi habeas res tuas; reddas meas.

Repudium, ut a Romanis sancitum erat, metuit Myrrhina. Secundum Romanum morem parentes appellant uxor Menæchmi et Dorippa. Dotalis servus, de quo mentio fit in Asinaria, omnino Romanus est. Quid dicam de meretricibus Tribus Viris subjectis, aut nomen coram ædile mutantibus. Quid vero? poeta comicus,

[1] A. Gell. *Noct. Attic.* III, 3. — [2] *Terent.* Andr. prolog. — [3] Cf. argumenta a Boissier allata, *Journal général de l'Instruction publique*, 21 mai 1859; cf. quoque ejusdem thesim *Quomodo Plautus transtulerit Græcos*, 1857. — [4] *Dubief*, in Præfat. *Quid fuerit familia Romana tempore Plauti*, 1859.

præsertim qui favorem popularem captat, nec tantum lectissimis spectatoribus placere cupit, oportet ineluctabili necessitate mores suorum æqualium suis fabulis intermisceat. Sin aliter, in periculum veniret, ne non intelligeretur. Pars major audientium neque rebus actis, neque effictis ingeniis movetur, nisi earum rerum quæ videre consuevit imaginem referant. Forsan, quod illud neglexerat, quodque non satis æqualium suorum mores reddiderat, cladem haud semel Terentius tulit. Quod accidisse Plauto nunquam accepimus. Consideremus ergo mulieres quæ in fabulis ejus apparent. Aut Romanæ sunt, aut saltem sunt Romæ ab eo visæ pleræque. Matronæ inductæ in scenam sane differunt a mulieribus græcis. Non lege et consuetudine Romanæ mulieres intra gynæceum conclusæ sedebant, ut Græcæ; in convivium ducebantur, ubi sedentes cœnitabant [1]; primum locum tenebant ædium atque in celebritate versabantur [2]. In fragmentis quæ nunc exstant Mediæ Novæque Comœdiæ apud Græcos nulla matronalis persona in scenis agitur; et si licet ex Terentio, Græcorum imitatore certiore, aliquid conjectare, quæ loquuntur non interiorem partem domus videntur linquere. Non, ut Artemona, Phanostrata, Cleostrata prodeunt in publicum, se hominibus omnis generis intermiscentes. Si contra quæ sunt in Prisca Comedia mulieres inspicies, Romanas longe præstare moribus apud Plautum agnosces. Nulla fit mentio de illis libidinibus sæpius ab Aristophane nominatis, nulla de vinolentia vel matronis liberis exprobrata [3]. Procacissimum servum audi in Cistellaria de domina loquentem :

.... Si mihi
Alia mulier istoc pacto dicat, dicam esse ebriam [4].

Nonne tali verbo sobrietatem illius testatur? Attamen unus fere hic locus est in quo alludatur ad rem istiusmodi [5]. Ceterum extra controversiam est matronarum in venereis voluptatibus tem-

[1] Val. Max. II, 1, 2. — [2] Cornel. Nep. præfat. — [3] Temeto abstinebant mulieres romanæ. Val. Max. II, 1, 5; Plin. XIV, 15. — [4] *Cistell.* IV, 2, 15. — [5] Adde tamen in Casina quod de utraque domina dicit Pardalisca : Gnovi illas ambas estrices, etc. *Casin.* IV, 1, 18.

perantia, quarum crimina carpuntur in scena, ut occasio se præbet [1]. Illarum alia vitia arguit Plautus, morositatem, nimiam mariti negotiorum indagationem, garrulitatem, profusam in vestimenta luxuriam. Perspicimus quodam modo quam conturbationem in femineos mores intulerit virorum in dies increbrescens corruptela et græcatio. Adhuc assuetæ domum tueri, matresfamilias jam colum et lanificium deserere cœperunt. Stimulantur enim maritorum perfidia, græcarum meretricum leporibus captorum. Aliæ, ut Artemona, non dubitant ipsum lupanar invadere ut jura sua vindicent; aliæ multis modis reversos viros vexant, sui ulciscendi causa; ea est Cleostratæ ratio. Quædam ad legitimam actionem, ut Dorippa et uxor Menæchmi, recurrunt, in ea re a parentibus minus adjutæ. Pleræque et ipsæ lasciviunt novis artibus in civitatem introductis, et munditiis meretricum æmulantur. Facile apparet tempus illud circum certamina de lege Oppia [2] et senatusconsultum de Bacchanalibus transigi. Quam longa est in Aulularia femineæ supellectilis enumeratio! Quam si meretricii sumptus descriptioni, qualis est in Epidico conferes, illam huic parum cedere invenies. Matronæ certe, ut meretrices, *fundis exornatæ* incedebant per vias [3]. Matrona, de qua mentio est in Truculento [4], quæ non dubitat puerum filiæ suæ tradere meretrici, forsan Miniam illam Campanam novit, quæ ritus Bacchanalium ad ultimam licentiam protulit [5]. Nonnullæ, ut Myrrhina [6], timide tolerabant quodcumque accideret, et in somno, insulsa loquacitate nonnunquam intermisso, vitam agebant. Paucissimæ, natura optima et fortissima officium deserendum nullo modo arbitrabantur. Quædam, ut Eunomia et Phanostrata, referunt nobis imagines illarum animum tanta verecundia dignarum, quarum nomina dat Livius, ut Æbutia et Sulpicia sunt [7]. Forsan Pinacium, quæ tantam constantiam

[1] Ov. *Trist.* II, 497 et sqq. « In quibus assidue cultus procedit adulter, Verbaque dat stulto callida nupta viro. Cumque fefellit amans aliqua novitate maritum, Plauditur et magno palma favore datur ». Nihil contra illa inferendum esse puto de argumento Militis in quo de adulterio tentato agitur.

[2] T. L. XXXIV, 6. — [3] *Epidic.* II, 2, 42. — [4] *Trucul.* IV, 3, 22.

[5] T. L. XXXIX, 13. — [6] *Casina* II, 2, 4; etc.

[7] Indulget filio Eunomia, et Æbutia filio fratris. Vide quoque quos affectus

exhibet, aliquid debuit exemplo Tertiæ Æmiliæ, Africani prioris uxoris, quæ diu dissimulavit compertum viri in ancillulam amorem, injuriamque licet invita fortiter toleravit [1]. Nonne Alcumena effigies est verissima et purissima matronæ romanæ excellentis, quæ nusquam alias æque eleganter descripta est, neque in poetarum neque in ceterorum scriptorum operibus. Qua considerata, intelligimus castos mores priorum Romanorum, amorem maritorum erga conjuges, in matres liberorum reverentiam[2]; novimus cur tamdiu lex divortii manserit inutilis. Sic redeuntes e bello maritos excipiebant illæ veteres, Spartanis minus asperæ, haud minus bellicarum virtutum hortatrices; sic fretæ pudicitia iniqua opprobria respuebant. Concipimus animo, quum audivimus Alcumenam, honorem illum a Romanis tamdiu matribusfamilias adhibitum [3]. Nil jam habet mirum narratio de Lucretia, de Coriolano, matris et conjugis precibus victo. Subjiciam tamen aliquid : Matrona Romana est Alcumena, at non ea rustica quæ plebeiam conditionem colit. Romana virtus dulcedine quadam temperatur, quæ jam excultiores mores redolet. Ea matrona est Alcumena, quam liberalis et elegans disciplina, forsan e Græcia expetita, expolivit. Nihil illi excidit indecorum. Imago est illius Corneliæ, at melior et magis ad humanam necessitatem accommodata, pro qua mori voluit Tib. Sempronius Gracchus [4]; et nescio an, quum Cicero fingeret Crassum, Læliam ceterasque feminas nobiles audientem, arbitrari se Plautum audire [5], non modo sermonis puritatem, de qua disserit, sed et sententiarum gravitatem et integritatem habuerit in animo.

At cum humanitate venit e Græcia quoque corruptela [6], quam Romanis insita ferocia etiam in pejus vertit. Astutissimæ sunt pleræque meretrices et maxime perversæ. Fere omnes pravissi-

erga Haliscam habeat Phanostrata, quamque similes sint iis quibuscum Sulpicia Hispalam excipit; T. L. XXXIX, 12.

[1] Val. Max. VI, 7, 1. — [2] Cf. Horat. Od. III, 6, 40, severæ matris ad arbitrium etc. — [3] Val. Max. V, 2, 1. — [4] Cic. *De Divin.* I, 36; Plin. VII; Val. Max. IV, 6. — [5] Cic. *De Orat.* III, 12.

[6] T. L. XXXIX, 8. Ex urbibus Magnæ Græciæ saltem advenerant pleræque meretrices. Apud Livium Minia Campana est. Cf. versum Afranii : Ubi hic Moschis, quæso, habet meretrix Neapolitis.

mos sensus præ se ferunt. Phronesium nonne advena est rusticum adhuc adolescentem, corruptum nobilem, spoliis onustum legionarium[1], etsi nominibus græcis falso appellatos, Romanos homines certe, fallacia deludens, imo communicatione sceleris matronam ad se deprimens[2]. Non enim longe absunt Bacchanalia[3]. Idem dicam de Bacchidibus, idem de Acroteleutio, muliere ad omnes res parata, ut opes amplificet. Romanæ sunt illæ clientelæ, quibus meretrices potentiorum virorum et feminarum illustrium patrocinium requirunt[4]; Romanæ illæ pactiones, quibus pellices in tempus comparantur, ut videmus in Bacchidibus et in Asinaria fieri[5]. Adde vim sæpissime illatam miseris mulierculis in servitium ab amatoribus abactis. Illud etiam Romanos mores testatur, quod nulla fere fit mentio de concubinis, quæ similes sint Ἑταίραις Græcorum, id est, de liberis meretricibus, cum uno viro conversantibus fere uxorum jure[6]. Contra magnæ sunt partes lenonis, qui rarius intervenit titulis et fragmentis comœdiarum Græcarum[7], et multo minus habet momenti in Terentio. Apud Plautum elegantia Græca Romanæ asperitati cedit. Ejus enim tempore, ne Scipionem quidem Africanum pudebat lustra adire[8]. Absunt Thais Eunuchi, vel Bacchis Hecyræ, id est, mere-

[1] T. L. XXXIX, 5, 6, 7; primum lectos æratos, vestem stragulam, etc. Romam advexerunt; tum psaltriæ sambucistriæque, etc.... coquus cœpit in pretio esse. — *Id*, XLII, 32. Multi voluntate nomina dabant, quia locupletes, qui priores Macedonico bello aut adversus Antiochum in Asia stipendia fecerant. — Adde versum e *Bacchidum* fragmentis : Prænestinum opino esse : ita erat gloriosus. Qui saltem de sociis dicitur auxiliares copias Romanis suppeditantibus.

[2] *Trucul.* Loco citato.

[3] Post senatusconsultum, biennium vixit Plautus. De Bacchanali fit apud eum mentio e. gr. *Aul.* III, 1, 3 et 8.

[4] T. L. XXXIX, 9. — [5] *Asin.* IV, 1 et not. Naudet. Bibl. Lem. I, p. 224.

[6] Romæ vetitum erat ne libertinæ civibus nuberent. T. L. XXXIX, 19.

[7] Inter titulos mediæ et novæ comœdiæ fabularum tres sunt modo Πορνόβοσκοι, et in fragmentis rarissime meretrices in prostibulis stantes nominantur, ut quæ infimum ordinem habeant, et indignæ sint in quibus se comicus poeta exerceat.

[8] Etiam qui res magnas manu sæpe gessit gloriose, Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes præstat, Eum suus pater cum pallio uno ab amica abduxit. Nævius ap. Gell. VII, 8, 5.

trices egregiæ naturæ et suorum amatorum amantes ipsæ, licet liberæ, et jam ætatulæ fines transgressæ. Ecquam vero ex Plautinis, quod ad procacitatem attinet, æquat ipsa Bacchis Heautontimorumenu? Rarissimum fuit apud Romanos, his certe temporibus, exemplum Græcæ pellicis quemdam honestatis gradum usque servantis. Non arbitror afferendam esse contra ea Campanæ meretricis [1] memoriam, quæ, ut res vere æstimemus, patriæ suæ infida est, et Hispalæ Feceniæ [2], quam vehemens affectus eximit e numero ceterarum ejusdemmodi feminarum. Tempore Luculli et Pompeii [3] tantum, videntur Flora et Precia Græcarum ἑταιρῶν mores verius referre. Apud Plautum animadvertitur solummodo instinctus quidam fere belluinus, aut ea mollities animi, quæ in incultis moribus repente efflorescit. Quæ enim meliores sensus præ se ferunt, non artem suam libere profitentur. Captivæ sunt omnes; viribusque majoribus parent; imo juniores sunt, et adhuc usus vitæ expertes. Videtur Plautus voluisse nobis subjicere quasdam et forsan plerasque tales sibi visas esse, quum vitam inciperent, antequam calamitatibus afflictæ sensim depravarentur. Ad id valet oratio Scaphæ, quid sibi acciderit, Philematio narrantis. At poetæ non licebat mulierem indolis egregiæ in vitium delabentem coram spectatoribus ostendere [4]. Illud vetitum est theatralibus moribus. Vindicatio igitur illa in libertatem, et illæ nuptiæ, nonnunquam usurpatæ, sæpissime machinæ loco sunt, qua fabula enodetur. At meretrices consulto et cogitato bonas, nec ætate juvenili, nullas ostendit Plautus, quas profecto non habuerat ante oculos, quæque minus Romanorum morum rusticitati conveniebant.

Notavi, quum de Saturionis filia verba feci, miserum statum virginum, quas patrum potestas et abjecta sors ad omnes miserias adigebat. Nonne exemplum est, adhuc rarius, flagitiorum propter quæ postea Fannia lex rogata est [5]? Forsan in Telestide calamitates, frequentissimas Bello Punico, quum tota arderet

[1] T. L. XXVI, 34. — [2] *Id.* XXXIX, 9. — [3] Plut. *Lucull.* *Pomp.*
[4] Naudet. not. ad vers. 134 prologi Amphitruonis. Bibl. Lemaire.
[5] Siquidem eo res redierat, ut gula illecti, plerique ingenui pueri pudicitiam et libertatem venditarent. Macrob. II, 13.

Italia, agnosces [1]. Unum addatur: matronas meretricesques omnis status ostendit Plautus; at virgines quas induxit humiliori loco sunt ortæ. Nihil inerat comici conditioni nobilium virginum, patrum opibus et tutela protectarum, nec ut nostris temporibus amores earum dramatis materia esse poterant [2]. Varii casus qui pauperiores manebant plus præbebant ut inde documentum traheret poeta et rem spectandam excogitaret.

De feminis servientibus necesse est aliquid notemus. Vidimus quam incuriose aut quam duriter ab heris utriusque sexus ancillæ habitæ sint. Paucissimæ sunt bonarum artium cupidæ, pauciores pro numero fabularum quam apud Terentium. Quod eis heri sunt truces, adeo sunt pravæ. Romanæ atrocitatis fructus est illa stoliditas Haliscæ, lenæque, quæ in Curculione partes habet, vinolentia. Credo tamen maxime Romanam esse et pietatem Bromiæ, Staphylæ, Syræ erga dominas, et mansuetudinem, quam Phanostrata in Haliscam præ se fert, et fiduciam qua Cleostrata consilia sua cum Pardalisca communicat. Romani, qui pro rebus tantum servos habebant, quibusque eorum vita nullius momenti videbatur, plerumque immanissimum in modum miserorum corporibus utebantur. At nonnunquam communis vitæ consuetudo, insita omnibus hominibus clementia heros movebat. Inde nascebatur quædam amicitia familiaris, tam multarum devotionum, quas in historiis miramur, causa et hortamentum. Apud Romanos servilia bella maxime nefanda exarsere; apud eos plurimi servi pro dominis vitam libenter amiserunt. Græci servos lenius tractabant, verum assiduo contemptu prosequebantur; causam rationemque servitutis ipsius quæsiverunt eorum philosophi; deterius esse genus eorum qui serviebant, et intelligendi facultate, et omni virtute pronuntiaverunt. Romani, quum a jure mancipii oculos avertissent, molliores fiebant, animosque famulorum quadam æqualitatis specie sibi conciliabant. Mirum est illum ipsum Catonem, qui senescentes servos vendendos esse præcepit,

[1] Multitudo alia civium campanorum venumdata. T. L. XXVI, 16, et *Id.* 33: Ipsos liberosque eorum et conjuges vendendas, extra filias quæ enupsissent.

[2] Invenitur modo in Turpilio (177, Otto Ribbeck) puella quæ ipsa de se queratur : Gemo, meas fortunas, mater.

cum illis cœnavisse, et illius uxorem uberibus suis servorum suorum filios aluisse [1]. Quam diversitatem affectuum singulari diligentia animadvertit et expressit Plautus, in illis, quas ancillarum effinxit, imaginibus.

Quæram nunc quare minus mores sui temporis Terentius retulerit. Visus est indoles hominum universe conceptorum amplexus esse potius quam singulorum et suorum æqualium. Spectemus enim qua ætate vixerit. Ejus tempore, nihil ex his quæ Plautum acriter pepulerant supererat. Mores in perniciem inclinati ruerant. Redeuntibus e bello Galatico legionibus luxuria incubuit, cum suo scelerum omnium malarumque artium et turpitudinum comitatu [2]. Plurima facinora et maxime horrenda admittebantur ab omnibus. Imo medius ordo civium, diuturnis bellis exhaustus, jam fere exstinctus erat. Quid vero plus materiæ comico poetæ, cujus juris privata vita præcipue est, præstat? Tum vero nihil erat commune inter consulares senatoriosque viros et infimam plebem ad omne flagitium, dum merces solveretur, paratam! Majores erant nobiles, quam quos auderet aliquis aggredi. Multo ante id senserat Nævius. At Saturiones, quum plurimi sunt, jocum effugiunt. Restabat adhuc unum, quod præripuit Terentius, scilicet ut Græcorum fabulas, tum magis notas, romano sermone exprimeret, in eamque operam omnem sui ingenii jucunditatem et dulcedinem infudit. Laus ei est quod id optime effecit, et per eum græca exemplaria perspicimus, ut Romani mores per Plautum nobis patent.

VI. — QUAM ARTEM IN DEPINGENDIS PERSONIS MULIEBRIBUS PLAUTUS ADHIBUERIT.

Quæ sæpe laudavi supra, quæque ex eo decerpsi fragmenta notionem haud imperfectam præbent artis qua ad illas producen-

[1] Plut. Cato major.— [2] T.-L. XXXIX, 6. Polyb. XVIII, 18, *Id.* XXXII, 11; Diod. XXXVII, 3.

das usus est, et eum in ea re mirum fuisse si quis negaret, haud immerito iniquitatis insimularetur. Necesse est autem quædam proponam, quibus argumentum absolvam.

Antequam feramus de Plauto sententiam, præjudicatas opiniones excludere oportet. Meminerimus illum et veterem scriptorem fuisse et tempore rudi, quum vix nascerentur latinæ litteræ, exstitisse. Ne igitur ab eo petamus quod non proferre potest, quod non habet. Scio præcipuum locum tribui comœdiæ quæ ex ingeniorum humanorum descriptione nomen trahit. Illa vero tempore Plauti nondum erat Romam advecta. Ea est in qua quidquid fit ex animi personæ cujusdam inclinatione oritur. At Plautina comœdia, ut placeat spectatoribus suis, mutuatur a Græcis nodos fabularum et concursationem illam actorum quam potius mirantur inculta ingenia, in quæ non cadit longior investigatio rerum exquisitiorum. Mores Romanos quoque severissimis allusionibus carpit. In ingeniis hominum effingendis non tam multus est quam Terentius, sed ea magis variat. Sæpe illă unā aut alterā lineā describit, et ex præcipiti deserit. Quæ ut illustret, aut in ore partes agentis narrationem vel effictionem ponit, aut ad aliam personam tribuit. Imo sermonem abrumpit, ut spectantes alloquatur, aut edit ad rem parum conferentes facetias, ut sequatur hilaritas maxime expetita.

Intelligo igitur cur Horatius tam durus in eum fuerit. Poetam, qui adeo curiosa felicitate valuit, non mirum quin offenderet scena minus sibi constans, scurrilitas dignitate sæpe et gratia vacua, libertas dicendi inaudita apud Novæ Comœdiæ scriptores, et artis formæ, quam sibi proposuerat, adversa. Certe credo Plautum, quam qui maxime, tam sui compotem fuisse, quum scriberet [1]. Non autem calamum ratione quam prædicat Horatius ducebat :

> Est brevitate opus, ut currat sententia; neu se
> Impediat verbis lassas onerantibus aures :

[1] Vide illa verba, quæ licet a servo dicta, vim et elegantiam maximam habent. Sed quasi poeta, tabulas quum cepit sibi, Quærit quod nusquam gentium'st, reperit tamen : Facit illud verisimile, quod mendacium 'st. *Pseudol.* I, 4, 8 ; secundum lectionem Ritschelii.

Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso,
Defendénte vicem modo rhetoris atque poetæ,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto [1].

Opus erat ut omnes delectaret pervinceretque sonum theatri. Id effici non poterat, nisi plebs ipsa moveretur. Inde violatæ leges adstrictioris artis et Horatianum hoc :

Aspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi, etc. [2].

Nihil ait criticus de mulieribus. Non arbitror ideo ab illo exceptas fuisse muliebres personas, quum ceteras damnaret. Verum, quamvis observandus sit Horatius, quam proponit normam scribendi his verbis : *satis est equitem mihi plaudere*, non suadebo ut poeta sibi unam faciat. Quum vix tempore Terentii ea esset humanitas, vix ita multi essent cupidi elegantiarum, ut non sine labore reduceret ad se et detineret audientes, quid accidisset Plauto si tantum doctis et eruditis probari voluisset. Non illum igitur dicemus nescivisse partes personarum, quas fingeret, tutari, sed alia ratione scribendi usum esse, quam eum sua ætas ut haberet coegit. Superest ut quæramus nonne tamen virtutes eximias in scribendo ostenderit, quibus meritus sit ut, non apud æquales modo, sed et apud posteros commendetur.

Dixi modo eum in ingeniis effingendis non multum fuisse sed sæpe una aut altera linea quæ conceperit descripsisse. At certe illa linea ducta est altius, nec tantum summam rerum leviter attingit. Illi verba suppetunt, quæ potissimum sensus et generi et singulæ personæ maxime idoneos prodant. Statim in intimum pectus ejus quem loquentem inducit penetrat, et ex ejus ore verba promit quibus mores exprimantur. Sæpe etiam in fervido diverbio quid sentiat, et ideo qui sit profert. Quos, antequam appareant, descripsit, ut primum ipsi veniunt

[1] Horat. I, Sat. X, 9. — [2] *Id.* II. Ep. I, 170

coram, facillime agnoscuntur. Ita est de Cleæreta, de Phronesio, de Bacchidibus, de ceteris meretricibus in quas tam multa ingeruntur probra, quarumque oratio maxime convenit cum ea effigie quæ ab amatoribus aut osoribus proposita est. Ars inest huic scribendi rationi callidissima. Inde non imagines pallidæ et incertæ se nobis offerunt; contra, licet nonnunquam vix adumbratæ, quasi prominent et illustrantur plenissime. Non, ut citeriæ a poeta motæ manum artificis sequuntur, ita partes aguntur in scenis; vivunt actæ personæ, neque tantum trepidatione theatrali; sed, si spectatorum affabulationem dicteriaque scurrilia, quæ necessitas postulabat, tolles, viventes illas affectuum proprietate, mentisque sincera notatione experieris.

Licebitne mihi dicere vitam veriorem Plautinis personis quam Terentianis afflatam esse? Ut qui mores imitatus sit, Plautus vix uno verbo personam effinxit, quum omnes eam vulgo visam agnovere eique nomen suum indidere. Quid jam refert ejus indolem longius explicet? Rem agat potius, et si quid paulo magis inconcinnum, risus movendi causa, poeta addiderit, manebit tamen delineata figura quæ nunquam in oblivionem veniet. Id tantum erit necesse ut illi primi ductus penitus imprimantur, et ea est ingenii Plautini maxima facultas. Non idem Terentio tribuam. Dixi prius, cur mores suæ ætatis effingere minus potuerit; indoles igitur suscepit exprimendas naturasque humanas potius quam Romanas aut Græcas; exemplar propius insectatus est, earum rerum præcipue delectu habito quæ ad nullam gentem pertinerent. Nempe quis contendat Atheniensium mores apud Terentium spectari posse? Ideo suis personis subtilissimum quemdam aspectum dedit; curiosius nonnullarum ingenia informata sunt ad speciem inauditam; id dicam de Bacchide, quæ est in Hecyra, de Thaïde, in Eunucho. Nullam ejusmodi Plautus personam admisit. Glyceræ et Antiphilæ similis est Silenium: quanto vero præstat hujus imago, si ad vim respicias! Syræ et Philotidis sermonem referunt Scapha et Philematium, sed quanto fortius! quis Phronesio comparet Bacchidem Heautontimorumenu, aut matronas Terentianas Artemonæ, Cleostratæ, Dorippæ? Non infitior quin suæ sint Terentio virtutes, quas in

Plauto desideremus; fatendum est vero Plautinas personas veriores videri et viventibus similiores esse [1].

Non autem Plautum accusabis merito, quod omnes ejus personæ nimiam inter se similitudinem habeant. Hoc tamen objecit criticus nostras illustrissimus [2], sed erga Plautum immanior. « Semper meretriculam videas, ait, a sene aut anu venditam, » ab adolescente emptam ». Nihil amplius ego ex ejus verbis addam, ut me in personis muliebribus contineam; at nullam rationem habuit morum varietatis. Nusquam duæ Plautinæ feminæ sunt omnino similes. Certe idem est telæ genus; quam vero vario pingitur subtemine! Infinitum in modum differentias spectas. Quis, rem bene scrutatus, ut de lenis verba faciam, Gymnasii matrem et Cleæretam, ut de meretricibus procacissimis, Phronesium, Bacchides, Erotium, ut de amatricibus, Philenium, Philematium, Silenium, ut de matronis, Pinacium et Alcumenam inter se pares esse dicat? Jam satis demonstravi quantum hæc ab illa distaret; gradus omnes cujusque conditionis expressit Plautus summo artificio, ut vocum continuam seriem musicus peritissimus cantu reddit,

Modo summa
Voce, modo hac resonat chordis quæ quattuor ima [3].

Quid, quod mirus est in dispositione personarum. Modo per se ipsæ lumen habent, dum tota fabula agitur, ingenium significantes, et clarius scena quaque facientes. Ita matrisfamilias virtutes Alcumena pandit, prout res desiderat, illiusque effigies tanquam sola in fabula refulget. Illo modo Bacchides, Phronesium fraudulentam artem exercent, dolos aggerentes, meretriciamque perfidiam, quanta est, nulla re, quæ animum avocet alio, adhibita, ostentantes. Nonnunquam, varietate morum seu tenuissima, seu maxima, imagines quodam modo exstant, et affectuum certamine distinguuntur. Exempli causa, Pinacium

[1] Uterque (Plautus et Terentius) Græca argumenta corrumpit et contaminat; sed hic quadam, ut ita dicam, jejunitate ingenii, ille abundantia et ubertate. Boissier, *Quomodo Plautus transtulerit Græcos*, p. 20. — [2] Laharpe.
[3] Hor. *Sat.* I, III, 8.

Panegyrimque, Adelphasium et Anterastilem laudabo inter se similes, at quarum indoles exiguo discrimine melius definitæ sunt. Contra maxima discrepantia est Philenii et Cleæretæ, Scaphæ et Philematii. Quid dicam de eximio Cistellariæ artificio, in qua fere omnia mulierum ingenia apparent, lenæ turpissimæ, meretricum malitia et benignitate temperatarum, matronæ dignæ tali nomine, ancillæ humilem animum qui servam decet præ se ferentis, denique puellæ amantissimæ et optimæ. Videtur omnis conditio muliebris hac in fabula proponi, nobis ut uno aspectu compertum sit, quæ fuerit illo tempore, quamque diversas species induerit. Facile idem de ceteris comœdiis ostenderetur, quarum nulla aliam compositione refert. Materia variata est, et cujusque personæ deformatione, et omnium inter se aptissima concinnatione, ut, si quis pictor rerum naturæ spectaculum exprimere velit, iisdem semper elementis utitur, verum illa aliter inter se dimetitur, aliter distribuit, et in eo stat egregium ejus consilium.

CONCLUSIO.

Concludere nunc mihi fas esse credo. Nobis ante oculos pleno ordine, aliam alia excipiente, incesserunt omnes muliebres personæ quas animo concepit Plautus, quasque in theatri lucem adducere voluit. Illis, singula perquirentes, operam dedimus; vivendi conditionem, institutionem, consuetudinem cujusque scrutati sumus; denique scribendi et ingenia figurandi rationem, quam in opera sua contulit, perpensavimus. Judicium feramus, quæ ante subjecta sunt, brevissime repetentes.

Non modo quod commune omnibus hominibus, omnibus ætatibus est pervidit. Nominibus græcis, sub græcis personis, quidquid Romanarum mulierum eo tempore fuit, verissime depinxit, et liberalissimæ, et infimæ, et ejus quæ media fuit, effigie apprime reddita. Morum callidissimus observator fuit.

pictor diligentissimus. Quid, quod adeo acribus oculis spectavit rem suam, ut, si qua se obtulerunt optima exemplaria, illa arripuerit et in fabulis tanquam admirationis et imitationis materiam proposuerit. Illum cum Juvenale comparavit vir nostras, poeseos latinæ peritissimus [1]. At opinor, quum morum disciplinam inspicio, potiorem esse Juvenale Plautum, utpote qui sui temporis non tantum vitia et infamiam cognoverit et expresserit. Hoc Comicus Satyrico præstat. Non tantum opprobrii spectaculo tenetur, sed ad venustissimas res se vertit aliquando.

Varium et mutabile mulieris ingenium clarissime perpexit; nec angustis se finibus inclusit; materiam variavit prodigialiter. Illum, nulla conditio, nulla sors, nullus status, nullus habitus animi fuit, qui fugere potuerit. Libera, serva, procax et flagitiosa, pudica et honesta. mœsta, læta, ingeniosa, illepida mulier fuit ab eo depicta; non quod palmam tam diversæ notationis quæsiverit, sed quod ipsius materiæ varietatem mens illius natura secuta et amplexa est. Ut res abditissima erat, ita se præbuit, ut ad eam perveniret, acutissimum; tenuissimas diversitates subtilissima acie intelligendi percepit; quod multiplex erat et maxime in sese complicatum facilitate eximia strenui ingenii explicavit. Neque eum modo peritissimum effictorem morum et callidissimum diveris, sed et severissimum et maxime probabilem. Habet in eo quod colligat sibi et observet philosophus qui vivendi disciplinam et præcepta curat. Quid imitandum sit, quid fugiendum, arte doctissima proponit, et oppositione solerti rerum eas in lucem pleniorem induxit.

Neque vita carent personæ, neque eæ sunt quas versus paulo concinnior unus et alter injuria commendet. Moventur in pulpitis, agitantur affectibus et sensibus veris. At redolent suum tempus, et formam sine qua placere nequivissent induerunt. Quis ob eam rem Plautum damnet? Nonne nos ipsi jam exquisitissimas Molerii fabulas, quum in scenis aguntur, sæpe propter vetustatem et obsoletam morum speciem neglectas et contemptas a vulgo videmus? Idem Plauto accidit, et tamen diutius apud plebem

[3] M. Patin, *Melanges, Hist. abrégée de la Poésie latine.*

tantum sui delectandi cupidam, quam apud eruditos artis perfectæ et ad normam severiorem compositæ studiosiores, in honore mansit. Placuit vero et viris ingenii elegantissimi ; licet Horatii fastidia tulerit, non modo vena uberiori, concitato sermone, impetu dicendi, oratione purissima, Ciceronis laudes meruit ; at hunc credo de ingeniorum et forsan muliebrium effictione cogitasse, quum Plauti jocandi genus affirmaret esse elegans, urbanum, ingeniosum, facetum [1].

[1] *De Officiis*, I, 29.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, pridie non. februar. ann. MDCCCLXII,

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur:

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX

—



